De Juventutis instituendæ ratione

DIATRIBE,

Item

EPISTOLA DE ELOQVENTIÆ STUDIO

Secundùm edita.

Autore

J. P. D.

ELBINGÆ,
Literis CORELLIANIS
ANNO M. DC. LIII.

4

De Iuventutis instituendæ ratione Diatribe.

HOminem Deus, uti sapientiæ suæ contemplatorem, cultorem Majestatis, præconem deniq; gloriæ esse voluit; ita summi boni, si officium pro viribus datis faciat, sed & summi mali, si id negligat, capacem fecit.

Summum verò bonum ut assequi, summum malum ut evitare posset, varia ei adminicula dedit.

Principiò menti humanæ igniculos indidit, à quibus, quemadmodum ad honesti inhonestiq; discrimen videndum, lumen; ita porro ad honestum sectandum, fugiendumq; inhonestum, stimulum impetumq; accipit.

Quos deinde igniculos, & per se, & per remoras circumdati nitentisq; in contrarium corporis, tum & per alia impedimenta plerumq; langvidiores, cœlitùs data Fides, & præter hanc disciplina, seu in studiis honestis exercitatio excitat, dilatat augetq; in majus.

Unde simulac hominem, prætergressa infantiam ætas mentis lingvæq; compotem fecit, protenus ij, quibus aut natura, aut alia potestas, aut deniq; miseratio curam ejus commisit, vel ipsimet ad pia & honesta eum formant officia, vel aliis formandum tradunt, ut & ad hanc, qualis in terris datur, felicitatē, summiq; boni

 preli-

prælibationem, & ad alteram cœlestem, quæ in summi boni perfecta fruitione consistit, assequendam, alacrior aptiorq; , Deo benignè adjuvante, reddatur.

Ac alij ita educantur, ut intra qualiacunq; pietatis probitatisq; præcepta, quibus nonnunquam aliqua, sed levia literarum rudimenta accedunt, consistentes, mentem ad altius scientiarum artiumq; lumen non attollant; modumq; posteà vitæ amplectantur, cui integri mores & honestus corporis labor & qualiscunq; animi industria alimentum, aliaq; ad benè vivendum necessaria suppeditant.

Alios ingenium & liberalior educatio eò provehit, ut ab accuratioribus artium disciplinarumq; studiis, laudabilem cumulum & conspicuam lucem usitatis illis morum præceptis literarumq; primordiis addere possint: ita ut inde ad splendidiora vitæ ornamenta, stationesq; Deo & ipsis honoras, publico utiles, si sibi ipsis non desint, habiliores fiant.

Utrisq; ut consuleretur, Scholas necessitas aperuit.

Pro alteris tales, in quibus, præter pietatis elementa, facultatem legendi scribendiq; vernacula, tùm & numerorum aliquam cognitionem assequi liceret: fructuosam utramq; , omni in vitæ genere, etiam non literato, futuram.

Pro alteris verò alias nobiliores, quæ adolescentes juvenesq; per gradus ad artes scientiasq; , alios tamen altius aliis, pro diversitate scilicet ingeniorum, pro industriæ modo, pro continuandi studio, methodi deniq; melioris deteriorisvè ratione, evehunt.

Primis

Primis illis methodum præſcribere nihil attinet, qvia vulgaribus & hactenus uſitatis ſatis proficitur, ſi modò tàm docentis, quàm diſcentis aſsiduitas & diligèntia aſſit.

Alteris methodi jamdudum plurimæ variæq; præſcriptæ ſunt, & uſq; etiam præſcribuntur, ita ut penè copiâ earum laboremus: hoc inprimis ævo, quo eximii aliquot viri hunc ſibi præcipuè campum excolendum ſumpsêre: ſpinas ſcilicet dumoſq; tollere contendentes, quibus vulgares ad ſapiendi dicendiq; facultatem viæ refertæ obſeptæq; eſſe creduntur.

Ego omnibus illud, quod benè vertat, & velit fauſtum eſſe Deus, ex animo apprecatus, nulli eorum ſuam laudem vel velim, ſi poſſim, vel poſſim, ſi velim, præripere: interim meo qualicunq; & judicio examinare aliena, & ingenio propria, ſi poſſim, apponere, fas mihi eſſe duco: cum inprimis officii à Deo commiſſi ratio vel nolentem in has cogitationes nunc compellat.

Age itaq; rudem, tamen ratione utcunq; uti, ac ſenſa animi exprimere compotem puerum ad eruditionis ſacrarium, quia id non in plano ponere Divina ſapientia voluit, per gradus atq; intervalla, Deo auſpice, ducamus.

Gradus autem, quibus ſine præcipitantiâ & prolapſionis periculo, ſine obice item & inſigniore morâ, ad illud ſapientiæ delubrum veniri poteſt, ab aliis plures, pauciores ab aliis proponuntur; nobis novem ſufficiunt: qui numerus nativitati & ſimul ætati humanæ climactericus, aptè etiam ſtudiorum ætates ac progreſſus diſtinguit abſolvitq;.

Sed nonus seu ultimus gradus supra *Gymnasiorum*, quæ ita vulgò vocantur, fastigium positus, in *Academica* spatia deducit literarum clientem: in quibus ille eruditionis humanæ quasi fœtus ita perficitur aut certè perfici debet, ut inde deniq; in publicarum functionum lucem prodire possit.

Nos ut ordine naturali progrediamur, incipiemus ab infimo Informationis humanæ gradu: in quo scilicet puer literas noscere, in Syllabas colligere, verba simplicia & verborum deinde integrum contextum legere discit. Quâ in re nullis equidem novis præceptis adeò opus est: cum facilis per se sit, nec tam ingenium, quàm laborem tantùm & industriam docentis discentisq; requirat. Hoc tamen præcipuè iis, qui his studiorum quasi incunabilis præsunt, studiosè curandum est, ne in legendo verba præcipitare, vel syllabam aliquam intervertere afsvescat puer: imò & naturæ vitium, si quod est, in istâ mox herbâ, quantum fieri potest, (fieri autem posse vel Demosthenis exemplum ostendit) emendare contendat.

Ilud quoq; addere hic libet, quod vir pereruditus nuper me monuit. Libelli ex quibus prima literarum elementa disci solent, constant plerumq; ex primis religionis elementis. Et rectissimè id fit equidem: sed esset hoc quoq; ex usu puerorum, ut aliqua ex Donato, quem vocant, sumpta vocabula, difficiliora inprimis, ad legendum hic simul offerrentur, quæ & in fine libellorum illorum meritò annecti deberent. Sic enim vocabula illa familiaria jam fient

pueris,

pueris, & ad Donatum ipſum accedentibus tantò minus dabunt difficultatis.

Hìc pariter Puer, præter preces in omnem vitam utiles, dicta aliqua ſacra ediſcat, talia inprimis, quibus vel pietatis & ſapientiæ commendatio, vel officiorum teneræ ætati convenientium præcepta continentur.

In hoc gradu ubi id aſſecutus fuerit puer, ut legere Latinum verborum contextum, adeoq; libris, eruditionis nempe inſtrumentis, uti incipiat poſſe; id jam porrò agendum eſt, ut intelligere id quod legit, & porrò ipſe etiam loqui & ſcribere Latinè condiſcat.

Latinè, inquam; quia hæc hodie Dominatrix lingua eſt, & non inter eruditos tantùm, ſed & rerum in orbe potentes uſitatiſſima eſt: in eà deniq; non modò legum ſacrarum & civilium volumina, ſed & optima qvæq; artium ac ſapientiæ monumenta extant conſcripta.

Ac quia lingua iſta multum nobis hodie moleſtiæ faceſſit, & ſex ſeptemvè annis plerumq; vix addiſcitur, optandum ſanè eſſet, inveniri modos poſſe, quibus labor iſte compendifieri qveat. Et inventi equidem tales, ſed magis adhuc calamo deſcripti laudatiq;, qvàm uſu ipſo recepti, aut ullo ſucceſsûs ſpecimine approbati ſunt.

Vid. Method. Cl. Comenii, & Cecilii Frey Viam ad ſcientias, quem librum mecum Vir Nobiliſs. Deſnoyers Secretarius Reginalis Majeſt. Pol. communicavit.

Inter omnès verò modos non immeritò ille maximè placuerit, ut domus ejusmodi haberentur, ubi nullus habitantium, etiam famulorum, aliâ uteretur lingvâ, quàm Latinâ. Sic enim, qvemadmodum Gallicam,

licam, Anglicam, Polonicam, aliasq; lingvas discimus; ità intrà breve tempus & sine negotio, imò & sensu penè, Latinam puer imbiberet. Et modus iste Magnatibus, Urbibus etiam ditioribus, inprimis maritimis, in quas scilicet homines ad tale negotium apti faciliùs vocari possunt, non esset adeò difficilis, mirumq; est, minùs hactenus usurpatum. Commendat inter alios modum istum vir egregius Cecilius Frey Professor olim Parisinus, idq; exemplo inprimis magni in Galliâ viri, Michaelis Montani, qui ità educatus vix quintum ætatis annum superaverat, cùm adeò lingvam Latinam calleret, ut Muretus, ille Oratorum coryphæus, promptitudinem loqvendi admiraretur, cum quâ vix ipse paria se facere posse speraret.

At si iste modus in usum veniret, nihilominùs præcepta etiam addi deberent, ne extra Leges veræ Latinitatis evagaretur sermo puerorum. Quas eqvidem omnes illi domestici vix unquam observabunt, quin subindè aliqua non Latina intermisceant. Quæ puer si hauserit, citò quidem forsan & promptè sciet Latinè loqui, sed barbarè simul: & multa magno labore ei posteà dediscenda erunt, nisi adsint subindè, qui pravè dicta corrigant: nisi etiam regulæ adhibeantur, secundùm quas sermo noster, ut legitimus sit, componi debet.

Ita Gallicam lingvam etsi multi usu discunt, meliùs tamen & exactiùs eam percipiunt, qui usui præcepta adjungunt. Sed quia ille modus Freii vel Montani

tani

tani nec in usu est, nec forsan in usum brevi veniet, aliis tritioribus, aut ad tritos propiùs accedentibus insistendum est.

Ubi igitur puer (ad rem ut redeam) Latinas literas legere & scribere nôrit, paulatim, ut antè dixi, eò ducendus est, ut & ipse suâ Minervâ loqui eâdem lingvâ & scribere discat.

Antequam autem essent, qui longo Latinitatis usu intima ejus Lingvæ perscrutati, ex inductione multorum exemplorum inter se convenientium, regulas tandem confecêre, annotatis tamen simul etiam iis, quæ à regulis abirent: haud dubiè vel ex perpetuo loquendi cum populis purâ Latinitate utentibus commercio, quod rarum tamen, imò nullum seculis aliquammultis jam fuit, vel certè assiduâ autorum Latinorum tractatione, lingva ista cuilibet addiscenda fuit. Quod postremum in præfelicibus ingeniis etiam hodiè fieri potest: & novi ipsemet raræ indolis homines, qui sine ullis propè præceptionibus Grammaticis L. Lingvam didicisse fassi mihi sunt. Sed iidem tamen viri rapacitate ingenij ad majorem haud dubiè in lingvâ eâdem perfectionem, perfectionisq; simul fiduciam pervenissent, si promptissima eorum indoles ordinarijs adjuta fuisset subsidijs. Fieri enim vix potest, qvin subinde in vocabulorum phrasiumq; Latinarum recto usu titubet dubitetq; is, quem firmarum regularum constans & penitùs animo concepta veritas non reddiderit certum, & ab errandi non periculo tantùm, sed & metu exemerit.

Porrò difficilis quoq; ille modus est, & nonnisi

summo-

summorum ingeniorum, ut dixi, dexteritate superabilis. Nam in autoribus vocabula Latinitatis longè lateq; dispersa sunt: & quia admodum multa, singulorum genus, flexionem, tempora, modos ex autoribus quidem discere quisq; poterit, si volet, sed admodùm tardè, & nihilo minus, si proficere volet, ipse sibi analogiam aliquam ex collatione singulorum necesse habebit formare. Vt *ex: grat:* nomina quæ in *a* desinunt, reperiuntur equidem in autoribus omnia, sed sparsim, & nonnisi lentissimâ serâq; omnium collectione, si de genere eorum dubius sis, cognosces, fœminina esse: & ne id quidem, quomodo & quousq; verum sit, scies, cùm exempla in contrarium reperturus sis: nisi annotatis seorsim contrariis istis, reliqua omnia sub certam aliquam & generalem regulam reduxeris. Id verò ut perardui, ita hodiè non necessarij laboris est, cum sint, qui harum molestiarum gratiam nobis fecère; concinnatis scilicet libris, quibus Latinarum vocum phrasiumq; usus ab autoribus receptus, & ex illis depromptus, sub certa dein regularum quasi signa revocatus est.

Non autem nescio, multorum etiam insignium & juventuti nec non eruditioni optimè cupientium Virorum super tricis Grammaticis querelas. Neq; diffiteor equidem, esse in eâ arte salebras, quæ molestiam facessunt discentibus, & ex animo optarem, tolli eas posse. Et primùm non infitior, barbaris quodammodo, certè parum Latinis plerumq; conceptas vocabulis esse istas prçceptiones, ê quibus tamen ipsa illa, quam qværimus

mus, Latinitatis ratio haurienda est. Sed quid agas? cum artium plerarumq;, aut fortè omnium, vocabula talia sint, & ferè non possint non esse talia? Quia mentis circa illas artes effabricandas compingendasq; occupatę conceptus, puris & ex Ciceronis scilicet ævo haustis vocibus exprimi pleriq; nequeunt, aut certè longiore aliquâ periphrasi sunt exponendi. Ferendus itaq; iste veluti nævus est, & simul monendi rudiores, non esse voces istas technicas ita, ut aliæ ex rivulis optimorum autorum petitæ, in sermone vel scriptione, quam castæ Latinitatis esse velimus, usurpandas. Fateor porrò, pueris difficiles intellectu esse præceptiones illas, qvia Latino plerumq; sermone, illo nempè, qvem demum discunt, expressæ sunt. Qvemadmodum & Logices præcepta Logicè scripta, & totius Philosophiæ scientia Philosophicè consignata habetur, & nihilominùs tamen eam adhuc ignorantibus proponitur. Sed ut in omnibus aliis disciplinis, ita in hac pariter Grammaticâ, qvicqvid est difficultatis, docentium dextrâ explicatione, plerumq; & vernaculâ additâ interpretatione, freqventibus exemplis, eorumq; dextrâ applicatione superari potest. Et porrò ad Latinas Grammaticas hodiè pueri vix admoveri solent, non certè debent, anteqvàm per brevia & ferè vernacula earum rudimenta, tum & auditu usuq; qvotidiano Latinæ lingvæ aliquo modo assueverint. Nunc qvoq; Cl. Comenius multa in hâc ipsâ arte novis eqvidem, sed plerumq; aptioribus & significantioribus vocabulis, multa & ordine meliore, expres-

ſit. Vocabula illa, qvoniam ipſa forſan Grammatica non illicò in Scholas introduci poterit, à Magiſtro receptas præceptiones interpretante, explicationis ergò addi poſſunt. Qvod verò ſuperius de exemplis dixi, etiam atq; etiam obſervari velim â docentibus, & graviſſimè in pubem literariam peccare eos exiſtimo, qvi ea de Grammaticis tollunt, ut alicubi video agitatum. Nam vix niſi horum crebro intuitu & applicatione regulas illas technicas pueri poſſunt aſſequi. Præterea in exemplis iſtis pleriſq; gemmulæ optimorum Autorum continentur, qvæ hîc animis puerorum velut aliud agendo inſertæ, per omnem deindè ætatem hærent, & ſubindè, ubi opus eſt, ſponte ſeſe ad uſum offerunt.

Fateor deniq;, ut ad rem redeam, ediſcendis memoriterq; reddendis iſtis Grammaticis præceptionibus multùm fatigari, & ad odium penè literarum adduci ingenia. At poteſt iſta crux de diſcentium cervicibus demi, & debet omninò; niſi in teneram ætatem, & in literas ipſas injurii eſſe volumus. Eſt autem in mundo modus, qvomodo demi, aut certè longè levior reddi poſſit. Habeant pueri libellos Grammaticos. Sed in iis primò omnium notâ aliquâ ſecernantur Regulæ generaliores. Proponat deinde Magiſter ex autore qualicunq;, probatæ tamen Latinitatis, ſelecta exempla Regularum, vel potius habeat is ſententias aliqvas ita de induſtriâ contextas, ut in iis Regularum generaliorum ſingula exempla comprehendantur. Monſtret deinde, indicatâ in Grammaticis

maticis paginâ, ad qvas regulas qvodq; exemplum pertineat, indicet deniq;, quomodo iſtud exemplum illis aliis, cuilibet Regulæ in Grammaticâ ſubjectis, reſpondeat. Regulas iſtas, exemplis ſuis ſuccinctas, ad indicium Magiſtri, qværant pueri omnes in libro ſuo Grammatico, legat qvoq; unus, alter, tertius, qvartus, clarâ voce. Ubi poſteà ſimile exemplum occurrit, qværant & legant iterùm iterumq;. Id ſi fiat qvovis die, & horis aliqvot per diem, continueturq; per hebdomadam unam atq; alteram; vix futurum eſt, qvin Regulæ ultrò & per luſum (nam & ipſa qværendi curioſitas excitabit recreabitq; puerum,) memoriæ inhæreant, aut certè ità jam familiares ſint, ut leviſſimâ diligentiâ ei deinde infigi poſſint. Ac tum demum jubere qvoq; Magiſter poteſt, ut memoriter eæ recitentur, concitato præſertim æmulandi ardore inter diſcentes, qvod vel hâc ratione fieri poterit, ſi prior locus promittatur illi, qvi optimè Regulam cum exemplo uno & altero recitare nôrit.

Eodem modo poſteà ad ſpecialiores Regulas procedatur: qvarum quatuor ſimul, vel qvinq;, paginâ in Grammaticis monſtratâ, ſub examen ejusmodi, datis ſubinde aliis aliisq; ſententiis, qvibus regularum iſtarum exempla contineantur, revocari poſſunt: nec deſiſtendum, donec ſciant pueri unumqvodq; exemplum, qvod propoſitum fuerit, ſub ſuam regulam referre. Nullus dubito, qvin ità ſine omni notabili faſtidio devoraturi ſint pueri, qvicqvid ex arte Grammaticâ neceſſarium eſt ad ponendum fundamen-

 tum,

tum, cui omnis lingvæ Latinæ, omnis elegantioris literaturæ moles superstrui potest ac debet.

Sed hactenùs in genere ostendo, Grammatices præcepta non esse vel negligenda penitùs, vel in grandiorem ætatem rejicienda.

Nunc, ut agam distinctiùs, uti artis ejus diversæ complexiones sunt, ita attemperari eas pueritiæ, & alias alii ætati discendas proponi velim. Incipientibus prima ejus lineamenta seu rudimenta inserenda sunt; comprehensa libellis, qvos vulgò *Donatos* appellamus. Qvi generalissima tantùm præcepta & pleraq; vernaculâ lingvâ expressa continent, ut non adeò difficile sit pueris ea intelligere vel memoriæ imprimere, illo pręsertim modò diligenter observato, qvem paulò antè innui.

Et ista Rudimenta Grammatices, seu Donatus, secundo gradui, qvem posuimus, omninò competit. Cum eo conjungendus est *Nomenclator ex* Vestibulo Cl. Viri D. Comenii factus, ut pueri res Latinis appellare nominibus discant.

Si fieri commodè posset, ut rem qvamlibet, cujus nomen discere puer debet, oculis simul liceret subjicere, esset sanè & jucundior, & solidior institutio; nam mentem simul & lingvam eò meliùs instrueret. Sed cujus hoc potentiæ sit, res omnes eò deferre, ubi pueri instituuntur? aut qvâ ratione pueri per rerum omnium spatia, perq; universum tàm naturæ, qvàm artificialium operum systema, circumduci possint? Et quot sunt res, qvæ oculis subjici neqveunt? ut

DEUS

DEUS ipse, & Angeli; ut artes omnes, virtutes, actiones, & infinita alia. An interim earum rerum vocabula non discere debeat puer? Res, qvarum vocabula mandantur memoriæ, per adumbrationes & periphrases aliquas menti puerorum repræsentari, perutile est: & id industrios præceptores facere arbitror, ac, ut faciant, qvàm possunt, diligentissimè, moneo atq; hortor omnes. Sed adolescentulos eò velle adducere, ut res omnes, qvarum nomina discunt, in primâ statim ætate intelligant, hoc foret in Januario fruges metere velle, & infanti dentes non habenti nuces dare frangendas, præpostero sanè & inani voto conatuq;. Habet ut corpus, ita mens & ingenium humanum periodos suas & tempora: qvæ violenter velle antevertere, nihil aliud profectò esset, qvàm cum naturâ & DEO ipso qvodammodò pugnare. Sunt multæ res, qvas non pueri, sed juvenes; sunt aliæ, qvas nec juvenes, sed viri, imò senes demùm rectè intelligunt. Porrò in homine qvolibet priùs memoria se prodit plerumq;, qvàm Intellectus. Qvod vel in Infantibus apparet, qvi longè citiùs voces auditas meminisse, & pronunciare multò ante, qvàm ratiocinari rectè, & cum ratione loqvi sciunt. Cur non in eo naturam imitabimur, & memoriæ, quæ in pueris ad qvidvis recipiendum idonea est, aliqvid etiam, non satis adhuc intellectum, imprimi velimus, qvod deinde, procedente ætate, ruminari subinde mens, & pernoscere penitiùs, atq;, ut cum Medicis loqvar, legitima *assimilatione* sibi apponere, & in succum suum

ac sangvinem vertere possit? Commodior ergò faciliorq; alter modus, (qvem & alii ante me, qvanqvam fortè paulò aliter, proposuêre,) ad juvandum puerorum intellectum fuerit, si imagines rerum, qvarum vocabula seu vernacula seu Latina discunt, in libro aliquo depictas intuerentur. Et optarim sanè, reperiri aliqvem publicæ utilitatis tàm amantem, ut sumptum eum facere, & laborem suscipere vellet, & nempè secundùm ordinem Nomenclatorum, imagines seu picturas rerum, quarum vel genuinæ, vel ingeniosæ saltem effigies dari possunt, uno aliqvò volumine, mundi nempè totius qvodam qvasi compendio, publico juventutis bono daret. Eâ eqvidem ratione, non ita merum sonum, vocabula recitando, juventus ederet, sed menti simul rei cujusq; formam utcunq; imprimeret, & ad utrumq; laborem, uti & ad universum literarum studium, talium imaginum inspectione, tantò svaviùs tenera illa ætas pelliceretur.

Cæterùm brevem, pro primâ hâc ætate Nomenclatorem, adhibendum svasi. Neq; enim totam rerum naturam suis vocabulis appellare, neq; etiam universam Latinitatē simul exhaurire tenella illa potest. Sed nempè usitatiora & crebriùs occurrentia vocabula primò discenda puto. Et discenda sunt non flexa, aut in sententiam colligata. Nam etsi faciliùs juncta, qvàm simplicia & singulatim posita vocabula addisci possunt; habet tamen ea res aliud incommodum, quod ipse qvoq; nunc, post periculum demum,

rectiùs

rectiùs intelligo. Nempè si non in recto casu Nomen, non in Themate suo verbum puer discat, nesciet is unqvam rectè respondere, qvomodo vocetur hæc aut illa res? Qvære *ex. gr:* ex adolescentulo, qvomodo *homo* Latinè appelletur? Si id aliunde non sciat, sed ex hâc sententiâ, *Deus hominem condidit*, respondere debeat, pro *homo* respondebit *hominem*, & sic in aliis. Benè itaq; est, qvòd concinnati extant ejusmodi Nomenclatores, qvodq; ipsi etiam Vestibulo L. Lingvæ, qvod huic ætati congruentissimum existimo, adjuncti sunt: ut inde primæ literaturæ Tyrones rerum præcipuarum vocabula haurire possint. Antequàm porrò ea memoriter recitare jubeantur, per Donati pręcepta transigi illa omnia examinãdo debent: sic enim aliud qvasi agendo, adhærescent memoriæ, ut tantò minori negotio fastidioq; posteà edisci ac recitari qveant.

In hoc eodem gradu rectissimè fit, cùm pueri suo tempore manum ad literas eleganter pingendas exercere; cùm item pietatis causâ, textus Evangelicos, si sententiosi sunt, vel epistolicos legere, cum ex iis sententias notabiliores ediscere, cùm item Psalmos selectos & breves recitare jubentur.

In tertio gradu (qui Classem, ut vulgò vocant, *qvartam* continet) pueri illi, qvi ex gradu inferiore adhuc recentes sunt, usq; exerceantur (vehementer enim vitanda est præceps festinatio,) in examine vocabulorum, secundùm Donati rudimenta. At interim habeant qvoq; compendium Grammaticæ

Rhenianæ

Rhenianæ, sed nullâ exemplorum ademptione mutilatum, & in eo, occasione examinandorum vocabulorum, regulas etymologicas principaliores qværant illi omnes, legantq; qvidam clarâ voce, reliqui tacitè. Ubi freqvente hàc lectione familiariores jam pueris factæ fuerint, recitentur. Pergant porrò pueri in Nomenclatore Vestibulari, eo, qvem ante descripsi, modo. Neq; verò est, ut ordine recitare vocabula pueri cogantur: nam, qvia non commissa inter se, sed seorsìm singula reddenda sunt, in ordine ipso servando, crux aliqva figitur discenti. Sed malim ego, ut bini pueri stantes mutuò à se aliqvot ejusmodi voces exigant. Qvi meliùs satisfecerit, habeat locum priorem.

Magna profectò est utilitas, qvam institutæ tales puerorum concertationes pariunt. Nam & excitant ad diligentiam, & honoris faces animis tenellis adhibent, & fastidium, qvod immotè sedentibus oboriri solet, agitatione istâ, ipsâq; certantes spectandi voluptate discutiunt.

Nomenclatori adjungatur adhuc ipsum Vestibulum D. Comenii, idemq; per illas tam Donati, qvàm Compendii Grammatici (ubi apti ad id videbũtur discentes,) regulas examinetur. Qvo examine crebriùs iterato, cùm sententiolæ Vestibuli ultrò qvodammodò animis insertæ fuerint, memoriter qvoq; reddi jubeantur.

Possunt ex iisdem sententiis Vestibuli dari exerciciola, qvibus præceptorum Etymologicorum usum firmiùs sibi pueri imprimant. Inprimis id danda

est

est opera, ut in nominibus genera, in verbis Præterita, Futura, Supina, Perfecta Passiva, Participia, quàm promptissimè sciant. Temporum quoq; discrimina ut recte animis puerorum inprimantur, eorum exempla lingvâ vernaculâ proponenda sunt, quæ illi in arenâ statim, omnibus aut certè potissimis Temporum, Modorum, Numerorum, Personarum formis Latinè reddant.

Hìc itidem manus adhuc, tàm in Germanicis, quam Latinis scribendis, exerceatur.

Pietatis causâ Psalmos breviores repetant, pluresq; addiscant, inprimis Poenitentiales, vel etiam dictum ex Evangelio, aut Epistolâ Apostolicâ, examinent ad præcepta Grammatica, qvalia didicêre; & deniq; recitent.

In quarto gradu (qui & quartam Classem efficit) præcepta Etymologica ante tractata repetantur: deinde post intervallum addantur jam Regulæ Etymologicæ speciaiores, sed illo modo, qualem jam sœpiùs describo: ut scilicet primùm diu legantur clarâ voce, demum recitentur. Dixi post intervallum hoc faciendum esse. Nam qui ex inferiore gradu recentes sunt, ea quę ante tractârunt, adhuc tractent aliqvandiu, dum auditione aliorum in istâ classe veteranorum majoribus deniq; operarum pensis assvescant. Id quod pariter in cœteris classibus fieri velim.

Sed jam Syntaxeos quoq; principaliores Regulæ, sumptâ occasione ex constructorum Vestibuli vocabulorum vel etiam aliarum sententiarum de industriâ in exercitii ejusmodi materiam contextarum examine,

qværi legiq; aliquandiu, & deniq; ubi tempestivum visum fuerit, recitari jubeantur.

Nomenclator Vestibularis, & ipsum Vestibulum, si in inferiore gradu non est absolutum, continuetur, & si absolutum sit, tamen repetatur, sed sic, ut jam simul ad constructionem vocabulorum, seu Syntaxin, cujus anteà minùs habita ratio est, animi discentium in Vestibuli tractatione quàm maximè convertantur. Ubi in syntaxi, modis ante sæpius nominatis, aliquantum jam profecerint, ad eam magis magisq; imprimendam, exempla & imitatiunculæ, sed breves & facillimæ, proponi discentibus debent.

Proponantur quoq; pueris brevissimæ salutandi & familiarium sermonum formulæ, quæ excerpi ex Corderio, Erasmo, aut simili aliquo autore possunt. Præscribantur verò illæ in tabulâ, describatur à pueris, examinentur grammaticè. Sic facilè eousq; infigentur animis, ut nullo negotio eas mox recitaturi sint discentes; quod & datâ, ad rectè ediscendum, sufficiente morâ faciendum est.

Manum porrò ut in gradu inferiore, exerceant pueri, tum & Musicam, qui ad eam apti sunt.

Arithmeticen verò, disciplinam in omni vitæ colore valdè necessariam, omnes hìc jam discere incipiant.

Pietatis causâ, prima & necessaria Religionis elementa ex Catechesi discant: subinde & unum ex Psalmis notabilioribus, quos ante didicêre, recitent, nec non alia Scripturæ dicta.

In quinto gradu (qui tertiam Classem constituit)

tuit) Nomenclatoris per plurium vocabulorum exactionem, fiat repetitio: postea enim Janualis, qui altero illo longè perfectior & copiosior est, disci debet.

Syntaxis porrò tota, modis ante sœpiùs jam descriptis, memoriæ discentium infigenda, Etymologiæ quoq; præcepta crebrò repetenda.

Prosodiæ item prima hîc jam elementa tradenda sunt: ubi progressus aliquos fecerint, versus turbati in ordinem redigi jubeantur.

Et ut jam Autoribus Classicis assvescere adolescentes incipiant, Ciceronis epistolæ à Sturmio selectæ, hîc nunc illis proponendæ sunt. Quas primò interpretabuntur prævio Magistro, mox & per præcepta Grammatica resolvent. Hinc porrò phrases excerpet Docens dictabitq;, vel in tabulà præscribet, ut inde rectiùs eas pueri describant. Sed inprimis quoq;, ubi Latina dicendi ratio à vernaculo sermone abeat, monstrare incipiet. Dabit deniq; brevem imitandi materiem, unius nempè aut duarum, sed brevium periodorum contextum, è vernaculo in Latinum, phrasibus Ciceronis, transferendum. Ubi versionem absolverint omnes, prodire bini ac bini jubeantur, quorum alter alterius versionem clarà voce perlegat, examinetq;. Qui sœpiùs peccasse convictus fuerit ab altero, judice & arbitro Magistro, si superior loco sit, cedat inferiori. Si erratum aliquod neutri istorum fuerit observatum, id Magister ipse indicabit ac corriget.

Porrò quoniam in Epistolis Ciceronis rarior ser-

mo est de rebus familiaribus, & in communi vitâ subinde occurrentibus, adjungendus est aliquis *Colloquiorum* libellus, ut Corderij, Helvici aut similis, modò tersæ puræq; Latinitatis sit. In his vero Magister & discentes idem agant, quod in epistolis Ciceronis agendum diximus.

Versus item sententiosi, tam ex Catone, (uti vulgò appellatur) qvàm ex aliis Poetis, proponantur, quos, præeunte in tabulà Magistro, in libello peculiari, orthographicè & eleganter scribere, interpretari porrò, & per præcepta non tantum etymologica & syntactica, sed & prosodiaca transigere discentes debent.

Optarim etiam horam unam & alteram in hebdomade, libello *Erasmi de civilitate morum*, tribui: quia & Latinitatis sat nitidæ est, & præcepta ad elegantiam, in convictu hominum politiorum necessariam, utilia habet. Si quæ tamen nostro loco, aut tempori minus conveniunt, ea omitti, vel Magistri suppletione correctioneq; genio Regionis accommodari possunt.

Hic jam quoq; Græcæ Lingvæ prima tyrocinica deponenda sunt; Lingvæ jam plurimis in locis, maximo seculi damno & dedecore, nimiùm vilescentis. Sed sciant omnes, sapientiam & priùs, & pluribus Græcorum, quàm Latinorum scriptis comprehensam fuisse: eandemq; solidius & svavius, ex ipsis illis fontibus, qvàm ex interpretationibus peti: ipsam deniq; Latinam Lingvam, quia majore sui parte à Græcà profluxit, nec intimè perdisci, nec rectè scribi, pronunciarivè à Græcæ Lingvæ ignaris posse. Porrò,

rò subindè Græca vocabula in Latinis scriptis intercurrunt, ad quæ turpiter subsistere, & ignorantiam cum pudore profiteri eos oportet, qui horas aliquot lingvæ isti, utilitate ejus nondum intellectâ, impendere neglexêre. Quare omnes omnium ordinum adolescentes hortor, ut lingvam istam majoris, quàm vulgò jam fit, faciant. Illi, qui facultati alicui, aut docendi etiam functioni destinantur, eam lingvam penitius omninò sibi imbibendam ducant. Qui ad vitam civilem parantur, dare operam debent, ut saltem legere Græca sine errore & remorâ possint: atq; ut ea minimùm vocabula, qvæ latinis communia, aut affinia sunt, quo rectiùs Latina hæc & intelligi, & scribi possint, cognita sibi reddant; & seorsim aliquo in libello sibi describant. Non multum temporis ea res reqvirit, sed fructum suum habebit per omne vitæ tempus.

In Musicis & Arithmeticis pergatur. Et in his qvidem non horâ tantùm ad id destinatâ, sed identidem etiam, cùm pensis aliis rectè absolutis, aliquid velut animi recreandi & varietatis causâ interponendum esse Magister putabit. Habet enim non parum in se amœnitatis numerandi ars, si dextrè & svavi modo, quod sanè proclive est, proponatur.

Pietatis causâ Dialogos Castellionis legant, & interpretentur discentes; quia compendium Bibliorum continent, & tersâ Latinitate conscripti sunt. Subindè verò etiam Catechesin parvam repetant: quæ jam illis uberiùs explicari debet.

In sexto gradu (qui secundam classem continet) accedatur tandem ad Januam Comenii, librum sanè perutilem, & magni faciendum; quemq; adeò malè & sine justo fructu inter rudes primę pueritiæ manus deteri, perpetuâq; malè utentium tractatione evilescere qvodammodo & antequàm pretium ejus à discentibus intelligatur, fastidiri doleo. Continet is liber & Latinæ Lingvæ & universæ simul Naturæ, cùm circa Naturam, seu perficiendam, seu cognoscendam se occupantis Sapientiæ brevem & artificiosam admodum compagem. Hoc cùm ita sit, proclive cuivis est colligere, res tantas complectentem librum non convenire primarum literarũ Tyrunculis. Præsertim si id servandum sit, quod Autor ejus libri & multi alii desiderant, ut nihil discendum tradatur pueris, nisi quod assequi aut intelligere isti, saltem utcunq;, possint. An vero parvi pueri est, discere Medicinam à triplice olim genere hominum tractatam, Empiricis, Methodicis, Dogmaticis? quod inter alia capite LXXIV. Ianuæ docetur. An pueri est intelligere Theologiam in Positivam, Catecheticam, Didacticam, Polemicam, Propheticam, Casualem, Cabalisticam, dividi: id quod docetur cap: LXXVII. Et ad hoc exemplum, sunt profectò in libro isto plurima. Porrò, quia in Ianuà non singula Latinitatis vocabula seorsim, sed apta connexaq; inter se, flexa item, prout sensus requirebat, extant, haud facilè, quod & ante innui, inde suis res nominibus, verbisq; appellare pusio poterit, nisi rectos nominum casus, & thema-

ta

ta verborum seorsim is excipiat, aut in Nomenclatore aliquo (qualem equidem margini cujusq; paginæ in Ianua adjectum extare vellem) jam habeat parata. Præterea, quoniam in aphorismum unum plurimæ res, & simul notæ rerum, voces, conjectæ sunt, etsi in margine adjecta interpretatio est; nescit tamen pusio, quæ vox vernacula cui Latinæ respondeat: & scio eam rem doctioribus etiam subinde facessere molestiam. Mitto alia, unde porrò ostendi posset, non primæ adolescentulorum studiorumq; ætati obtrudendam esse Ianuam illam Lingvarum, quod in Gymnasiis nonnullis hactenus factum vehementer miror. Tanti ponderis hic liber est, ut meritò eum in secundam minimùm Classem reservandum putarim; si modò in ea absolvi possit. Si absolvi istic non potest (uti sanè non posse credo) alterutrum faciendum est. Aut difficiliora capita in Primam classem differri, aut huic ipsi Ianuæ in tertià, Tractatione faciliorum initiari discentes oportet; Si inprimis tales sunt, quorum ingenium & profectus id videantur ferre posse. Cœterum ubicunq; tractatur hæc Ianua, danda est opera, ut Magistri interpretatione illa probè explicetur: quæ vocabula aliquid singulare, aut minus obvium habent, etiam grammaticè, tam per Orthographiam, quàm per cœteras partes artis istius, examinentur: difficiliora item, & rariùs occurrentia enotentur, quò ea sic jam tot examinibus pertractata memoriter reddere possint discentes. Occurrunt in eodem libro nonnulla technica vocabula, aliqua etiam alia, quæ

novita-

novitatem magis, quàm puræ & classicæ autoritatis fontes sapiunt. In his itaq; seligendis, signandisq; non vulgari docentium labore & judicio opus erit. Hi enim monere subindè juventutem debebunt, quæ probatæ Latinitatis vocabula, vel phrases sint, quæ minùs.

Quemadmodum autem in Januâ istâ, ita porrò in Cicerone, aliisq;, qui hic tractabuntur, autoribus, Grammatica jam tota, modis ante descriptis, exercenda est: sic, ut omnia ejus præcepta ad usum istic revocentur; urgeanturq; ea maximè, qvæ plus difficultatis in se habent, & à Regulis ordinariis longiùs abeunt: uti sunt, Anomala, Defectiva, Exceptiones: quæ omnia non minus diligenter, quàm alia Analoga, seu ad Regulas qvadrantia, doceri debent: dixerim imò, diligentius quàm cœtera, inculcanda esse: quemadmodum in tabulis nauticis nulla alia loca curiosiùs quam quæ vadis scopulisq; infida sunt, annotari, & à nautis observari solent. Porrò jam quoq; Distinctionum, commatis, coli, semicoli &c. ratio, ex Grammaticâ diligentur monstretur: res ut magnoperè necessaria, ita hodiè nimis quàm neglecta. Vnde fit, ut etiam illi, qvibus & puræ, & elegantis Latinitatis abundè est, in structurâ periodorum, & distinguendo ritè sermone, subindè se non satis exercitatos esse ostendant.

Ex Epistolis autem Ciceronis primùm eas, qvæ ad finem libri Sturmiani prolixiores extant, posteà illas ad *Familiares* dictas, Magister interpretetur explicetq;

cetq; sufficienter: phrases indè excerpat dictetq;, & subindè monstret, quomodo, quod Cicero eleganter exprimat, vulgò soleat exprimi. Eâ enim ratione, & quod elegans est, perspicitur rectiùs, & quod triviale, vel pravum, tantò faciliùs agnosci & vitari discitur.

Posteà etiam imitandi detur materies & modus.

Ostendatur quoq; in Cicerone, & omnibus ejusmodi autoribus, distinctionum, de quibus paulò antè, ratio. Cur scilicet hic comma, vel colon, vel alia distinguendi nota posita sit: ut sic pariter scriptiones suas cum curâ distingvere discat juventus.

Ciceroni hic jam adjungi velim Corneliū Nepotem de vitis illustrium virorum, cùm ob res egregias, & virtutū exempla, quibus jure à primâ mox ætate instruuntur animi, tùm potissimum ideò, quia is Autor castissimę & simul facillimæ Latinitatis est, proximeq; ad Ciceronem accedit. Hunc discentibus explicet Magister, ut rectè omnia intelligantur, posteà inde voces elegantes & phrases dictet: deniq; verti textum ipsum Nepotis jubeat in vernaculum; & ubi unius & alterius versio clarâ voce correcta fuerit, in Latinum denuò transferatur: sic tamen, ne Autoris verba omnia reponant, sed sua supponant; at voces selectiores, & phrases, ex Autore ante excerptas, nè omittant. Porrò phrases, quas in hâc classe colligent discentes, ne neglectim habeant, multò minùs perire sinant: sed potiùs in libello peculiari eleganter descriptas servent. Paulò post

lò post enim, ubi judicio confirmatiores in primam classem translati fuerint, eas in certum ordinem redigent, inq; usum uberiorem poterunt transferre.

Opto pariter, ut ex Elegantiis Terentianis, Plautinisq;, quas Fabritius, Neander, Pareus collegêre, selectiores aliquæ à Magistro juventuti dictentur. Nam ipsos istos Autores, etsi dignos, qui inter primarios Latinitatis Promos Condos numerentur, in aliud tamen adhuc tempus reservari velim, quia tum in sermone, (Plautus inprimis) aliqua horridiuscula, adeoq; vitanda, tum magnam partem materias habent juventuti imbecilliori, & in vitium nimis cereæ parùm adhuc aptas. Adeò, ut non frustrà eorum loco Terentios Christianos, Colloqia Erasmi, aut similes libros legi adolescentibus viri pii & prudentes svaserint.

In Poësi Bucolica Virgilii, vel etiam Fragmenta sententiosa ex variis Poëtis collecta & simul edita explicentur, atq; ad præcepta Grammatica, inprimis & Prosodiaca examinentur; Phrases Poëticæ enotentur, & brevissima aliqua materia detur, ad versus faciendos: ità etiam, ut, si eò virium tyrones pervenêre, ex Heroicis Elegiacos, & vicissim de Elegiacis Heroicos faciant.

In Græcis Grammatica perdiscatur. Adjungantur Sententiæ Græcæ Lubini, quas interpretetur Magister, & per præcepta Grammatica examinet.

Musica continuetur, item Arithmetica; in quâ idem quoq; observandum est, quod ante ad gradum quintum monui: ut sit illa subindè pro studiorum quodam interludio.

Pietatis

Pietatis causâ, præcepta compendii alicujus Theologici ediſcantur. Si hora adhuc aliqua ſupereſt, Dialogis Caſtellionis conſecretur.

In ſeptimo gradu (qui Primam claſſem facit) difficiliora Ianuæ capita, ante prætermiſſa, explicentur, eo modo, qvo priùs cætera, in claſſe Secunda. Poſteà ad Nomenclatorem, Ianuæ adjectum, accedatur, ex eoq; vocabula non pauca, ita ut ibi ſunt, non recitentur qvidem, ſed exigenti Magiſtro clarâ voce reddantur. Neq; omnia exigi debent, ſed difficiliora tantùm, et ſi quid in unoquoq; peculiare eſt. In aliquibus de origine, vel de qvantitate, rectâ pronunciatione, & aliis id genus, interrogandi diſcentes ſunt. Si ad eum modum, uno die, nomenclatoris una pagella, duabus columnis conſtans, percurratur, quod ſanè factu non arduum erit, diebus 144. totus Nomenclator abſolvi poterit.

Hoc eodem tempore perutile etiam fuerit, ob acquirendam verborum copiam, rem in eloquentiæ ſtudio ſummè neceſſariam, in ſynonymias inquirere: ut *ex: gr:* ſi in Nomenclatore Ianuali, in vocem, *abſtrudere*, incidas, quærenti Magiſtro, qvæ ſynonyma verbum iſtud habeat, diſcentes recitent ex tempore, quæ occurrunt, ut ſunt; *occulere, occultare, abdere, abſcondere, tegere, contegere, auferre ex oculis &c.* non habito adeò accurato diſcrimine inter affinia; quanquam ſignificationis quoq;, ſi quæ eſt, diſcrepantia obiter à Magiſtro indicari poteſt & debet. Synonyma ejusmodi optarem adjecta fuiſſent aut etiamnum adjici poſſent ver-

bis saltem præcipuis in Lexico à Cl. Comenio, insigni labore artificioq; , composito. Foret sanè ad hunc modum liber ille paulò forsitan grandior, sed molis pretium abundè pensaret utilitas.

Quæ autem synonyma, æquipollentia, cognata, sive illa propria, sive tropica, sive simplicia, sive composita sint, ex occasione Nomenclatoris afferentur, ea discentes in arenâ mox in *Diaria* sua, vulgò *Raptuaria* dicta, referant. Quorum Diariorum, ut hoc obiter addam, diligens cura & discentibus & Magistris habenda est. Hæc enim quotidiani in studiis profectûs & testimonia & simul promptuaria sunt. Cum Diariis verò simul alii Phrasium libri in certos titulos (qui ad Calligraphiæ Parei aut similis Autoris exemplar aptari possunt) digesti haberi debent, ut in istos subinde optima & lectissima quæq; ex Diariis & quotidianâ Autorum bonorum lectione inferantur. Ex his quasi alvearibus postea, ubi proprio Marte aliquid excudendum fuerit, svave erit jucundumq;, paratum velut mel eloquentiæ posse depromere.

In istis verò libris annotent quoq; Discentes ex præscripto Magistri vocabula & phrases, quæ vulgò pro Latinis habentur usurpanturq;: cum adulterinæ, adeoq; studiosè vitandæ sint ei, qui ad castæ puræq; Latinitatis laudem contendit. Quâ in re inter alios juventuti pulchrè præivit Goclenius in Analectis Grammaticis.

Pariter etiam in singularem indicem congerantur vocabula, quæ Discentes in rariore aliquâ significatio-

ne,

ne, propriâ tamen, & elegante, à bono Autore usurpata seu repperer int ipsi, seu à Magistro observata exceperint.

Ad Latinitatem, sed simul etiam Morum doctrinam, quæ quàm diligentissimè instillanda est juventuti, utilissima sunt *Officia Ciceronis*, liber pretiosis disertę Sapientiæ opibus, qvàm mole aut splendore major.

Eum velim in lingvam vernaculam à discentibus verti, ita ut scribatur versio. Versionem autem bini aut terni semper Discipuli inter se conferant, atq; antequàm Magister ad corrigendum accedat, ipsi crassiores ac notabiliores lapsus mutuâ inter se diligentiâ emendent. Cum Magister ipse ad limam accedet, id quidem præcipuè habebit curæ, num Discentes Autoris vertendi sensum rectè expresserint, sed simul animadvertet, num vernaculus quoq; sermo rectè constet. Cum enim nunc omnes propè gentes in excolendis lingvis suis multùm ponant operæ, expedit, ut in scholis qvoq; ei rei debitè initietur juventus. Crescere porrò cura ista cum ætate debet, adeoq; quò longius & annis & studiis fuerint progressi Discentes, eò plus quoq; operæ non puritati tantùm lingvæ vernaculæ, sed & elegantiæ dare debent. Ego hâc de re injicere hìc mentionem volui, ut maturè istius studii, alibi accuratius excolendi, qualequale fiat exordium.

Cœterùm post emendatam versionem, Phrases ex Ciceronis textu excerpantur; formulæ etiam loqvendi non tantum à vernaculâ loquendi ratione, sed

etiam à vulgari Latinè loqui conantium consvetudine longiùs discentes: voces quoq; elegantiores & significantiores enotentur.

Postea versionem suam in Latinum revertant Discentes: ita tamen, ut non omnia Ciceronis verba, sed phrases tantùm & elegantias ante excerptas, cætera suis verbis expressa exhibeant.

Ad Morum verò doctrinam usq; etiam exercendam utile erit, tempore delecto, nervosam aliquam ex Senecâ sententiam, vel tales aliquot ex Publio Syro Mimo aliisq; Autoribus collectas discentibus proponere & memoriæ infigendas dare.

Ex iis sententiis aliquæ subindè in exercendi styli materiam converti possunt: diducendæ ita, ut Gnomas Chriasq;, extendi & in oratiunculæ formam porrigi in Progymnasmatibus docuit Aphthonius, quiq; alii in Aphthonio exemplis illustrando laudabilem operam navârunt.

Per intervalla etiam Periodica doctrina pleniùs tradatur. Quemadmodum enim ædificium sine juncturis stare aut elegans esse non potest: ita eloquentia sine periodicâ, seu aptâ sermonem vinciendi, atq; in Periodos seu breves seu longiores colligendi ratione.

Modi item variandi & amplificandi ex Erasmo Roterodamo, aut alio, qui Erasmi orsa in opere hoc utilissimo expleverit, Autore explicentur: atq; identidem exempla & materiæ suppeditentur, in quibus signatas ab Erasmo lineas suo Marte æmulari conentur discentes.

Ei rei, inprimisq; adeò copiæ verborum, quę hîc potissimùm quęritur, exercendę servire qvoq; plurimùm arbitror tale gymnasma: ut nempè brevis aliqua epistola Ciceronis, Plinii, Mureti, Manutii, Erasmi, Politiani &c. à Magistro priùs obiter explicata, aliis verbis phrasibusq; reddi, exhiberiq; aut legi jubeatur. Hac ratione non ubertati tantùm sermonis, fæcundæq; facundiæ assvescent, sed alium quoq; simul fructum haurient Alumni Eloqventiæ. Dum enim diutiusculè ita se circa textum illum Autoris occupant, ipsa eius verba, & res, & tractandi modum tantò rectius intelligent, penitiusq; imbibent animo. Porrò etiam, Autoris lineis insistendo, tùm periodos meliùs formare, tùm judiciosiùs atq; ad rem accommodatiùs propria scribere discent, cum alioqvin, ubi suo ingenio & nullis limitibus circumscripti feruntur, nimiùm plerumq; extra oleas vagentur. Ut, quid velim, rectius perspiciatur, adjiciam unum atq; alterum exemplum.

Ordiar à primâ epistolâ Plinii, quàm, ut est ab Autore suo scripta, non pigebit subjicere, sed simul mox qvoq; apographum, quo tanti viri eruditam manum nostro qualicunq; conatu sequi tentavimus, adjiciam. Illa epistola ita habet:

Frequenter hortatus es, ut Epistolas, si quas paulò accuratiùs scripsissem, colligerem publicaremq;. Collegi, non servato temporis ordine: (neqvè enim historiam componebam) sed ut quæq; in manus venerat. Superest, ut nec te consilii, nec me pœniteat obsequii.

obsequii. Ita enim fiet, ut eas, quæ adhuc neglectæ jacent, requiram, & si quas addidero, non supprimam.

Autor mihi fuisti identidem, ut literas, quas intentiore paulò curâ exarassem, conquirerem, publiciq́ facerem juris. Ego ut tibi obtemperarem, selegi aliquas, selectasq́ in unum contraxi fascem. Seriem temporis in iis non anxiè secutus sum. Neq́ enim res aliquas gestas fide & curâ historicâ prosequor. Sed uti sese obtulêre, ita casu magis, quàm præmeditatâ aliquâ ordinatione quamq́ locavi. Iam nihil restat, quàm ut collectio & publicatio hæc ita cedat, ne causam vel tu habeas dolendi, quod editionem svaseris, vel ego, quod tibi sim obsecutus. Inde enim stimulus mihi addetur, ut eas etiam è tenebris producam, quæ alicubi inter schediasmata sparsim latent, atq́ ut nec illas luci invideam, quæ in posterùm exarabuntur.

Alterum exemplum esto Epistola LI. Mureti edit. Ingolstad. anno 1605. quam nos ita reddere (ipsam enim, quia paulò longior, & in omnium manibus est, nolo subjicere) conamur:

Etsi summopère & multis negotiis districtus sum, Sinibalde, adeò ut sub mole istâ tantum non fatiscam: tamen evolvi Dialogum à te scriptum, & ex eius lectitatione plurimùm hausi delectationis. Iucunda mihi fuêre argumenta, acutè admodum inventa, & presso, vegeto vividoq́ dicendi artificio delineata. Quare uti Pythagoram ex pedis Herculei mensurâ de cæterâ corporis habitudine conjecturam fecisse perhibent, ita ego pariter ex scripto isto tuo, etsi minimè diffuso, indolis tuæ excellentiam capacitatemq́ intellexi. Iam tuus erga me affectus, quem maximum esse, indiciis à te da-

tis

tis plurimis cognosco, quanta me voluptate afficiat, noli poscere, ut scribam tibi. Nam hunc omnibus meis conatibus & lucubrationibus maximè semper finem ac scopum constitui, ut â talibus diligerer, qualem te esse video.

Quapropter licet mihi haud convenire puto ea encomia, quæ tu toto quasi horreo in me effundis: non possum tamen non amantissimè amplecti amorem tuum, qui tibi viro tanto acumine ingenij & tantâ prudentiâ prædito, offuso glaucomate quasi imposuerit, inq; eam te necessitatem redegerit, ut talia de me crederes scriberesq́; quæ ut alijs credantur, ipse etiam tu, quantumvis facundus, nonnisi difficillimè impetraturus sis. Autor verò sum tibi, ut edas Opus tuum Etsi enim modestiæ meæ quodammodo gravia sunt, quæ istic de me scripta extant: non committendum tamen puto, ut mea verecundia tuæ officiat laudi.

Hortor etiam te, ut alia ejusmodi componas: nihil expavescens susurros aut etiam occultas voces: quæ in publicum theatrum procedenti aliquantum facessent molestiæ; ubi autem semel tibi aures placidas reddideris, consilescent.

Omnium autem istarum exercitationum atq; eloquentiæ ipsius, ut justum fundamentum habeant discentes, ante omnia in Artis Rhetoricæ præceptis diligenter exercendi sunt. In eâ cum omnia studiosè animis comprehendenda sunt, tum inprimis Topologia, ut eloquentissimus V. Thilo, qui scitissimo eam libro exsecutus est, vocat, seu Modus & ratio inventionum in Monitione, Adhortatione, Consolatione, Petitione & omni alio Orationis genere; sed & Troporum & Figurarum Doctrina summoperè tàm Docentibus quàm discentibus curæ esse debet.

Troporum verò, & figurarum doctrinam, per crebra autorum exempla utcunq; perceptam, pulchrè exercere juventus poterit, si proponatur qualiscunq; sententia, quam illa per Synonymiam, & alias Figuras Grammaticas antè variatam, posteà per tropos quoq; & figuras Rhetoricas variare discat.

Domi quicquid temporis à publicis operis, elaborandis discendisvè, superest, in Epistolis Manutij, Sadoleti; Mureti, in Epistolis item Ciceronis ad Atticum, in Tusculanis quæstionibus, libris de Oratore & similibus legendis occupentur discentes.

Rhetoricæ Logica quodammodo præmittenda, minimùm certè conjungenda est: cùm illa ex hâc multa instrumenta petat, sine quibus consistere, & intelligi non potest. Et si ad Rhetoricam etiam haud quaquam respicias, certum tamen est, menti hominis præclarum à Logicâ accendi lumen, quo usus homo, tantò rectiùs feliciùsq; in rerum omnium cognitione, consideratione, explicatione, probatione, versari possit. Eò diligentiùs illa bonæ mentis studiosis addiscenda & exercenda est.

Ut Historiæ universalis gustum aliquem ax antiquo eoq; diserto Autore juventus capiat; *Iustinum* ei proponendum autumo; eo modo, qvo antea Officia Ciceronis.

Jn *Poësi* quia utramq; penè paginam fabulæ antiquæ faciunt, ad eas in vetustis novisq; autoribus, qui illas subindè operibus suis intermiscent, rectiùs intelligendas, & proprijs posteà operibus tantò dexteriùs intexendas,

xendas; optàrim equidem Ovidij Metamorphosin, aut selectas saltem ex illâ fabulas præcipuas in Scholis non negligi. Cùm inprimis adeò venusta & facilis sit Ovidij vena, & nihil juventuti noxium in eo libro doceatur; imò & sub tegmine fabularum, multa Physica, vel Ethica contineantur præcepta. Si fieri id per aliqua impedimenta non potest, accedatur rectà ad Æneida Virgilij, & Horatij Odas, alternis vicibus.

Jn Græcis continuentur Lubini Sententiæ: & addantur ex N. Test. Acta Apostolorum.

Arithmeticæ arti hîc jam fastigium imponatur, quò deinde ad alias Mathematicas disciplinas accessus fiat.

Jn Sacris, dudum huic loco usitatum Theologiæ compendium, vel aliud facile salutaris doctrinæ systema explicetur. Simul quoq; Christiana Morum præcepta, quæ Theologiæ minimè postremam partem faciunt, ex bono aliquo autore, quàm maximè inculcentur juventuti: quò hæc in Christiani hominis officijs, plus, aut non minùs saltem, quàm in artibus scientijsq;, proficiat.

In Octavo gradu, qui *Supremam Classem*, Academiæ nempè vestibulum, constituit, penè eadem, quæ in præcedente doceri, sed uberiore tamen ratione, & praxi luculentiore, debent.

Tradatur inprimis Logica plenior, ejusq; usus, in analysi textuum, ex autoribus, seu sacris, seu profanis, sumptorum: tum & thematum simplicium, compositorumq; pertractandorum modus.

Orationes Ciceronis explicentur, ità, ut artificium

Rhetoricum in ijs ostendatur juventuti, & ornamenta præcipua excerpantur, quæ in promptuaria suam, titulis distincta, discentes posteà cum curà referant. Eadem hæc aliorum simul, sed bonæ notæ Autorum lectione domi locupletanda sunt.

Historia universalis ita tradatur, ut cum eà simul Politicæ Prudentiæ præcepta & exempla hauriat juventus. Neq; mirum cuiquam videri debet, si ea res, ob materiarum copiam & gravitatem, lentiùs procedat, modò semper ex tali lectione usum aliquem notabilem, certæ nempè alicujus quæstionis Politicæ definitionem, vel aliud quid, ad Historiam pertinens, & singulare, secum auditores domum ferant. Juxtà autem compendium aliquod Historiæ, sed polito & terso stylo scriptum domi discentes legant: item ex antiquis Vellejum Paterculum, Cæsarem, Curtium, Salustium, Livium: ex recentioribus Buchananum, aliosq;, qui à perito & prudente studiorum Rectore ipsis fuerint commendati. Neq; enim omnes omnibus conveniunt.

Ad exercendam eloquentiam, detur ex Historià, vel Politicâ materies, ut *ex: gr:* ex occasione Historiæ de Pyrrho, in prælio periclitante, sumatur quæstio: an summa Regnorum capita prælijs interesse debeant? dentur pro parte affirmante aliqua argumenta: dentur item posteà pro negante. Deniq; etiam definitio controversiæ.

Proponantur syllogismi Oratorij, sic, ut nonnunquàm propositiones, ordine quem Logica servat, tractentur, nonnunquàm ordo invertatur. Subindè & epistola

epistola ex: gr: monitoria, commendatitia, hortatoria &c. item laudatio, vituperatio.

Detur item discentibus textus aliquis boni Autoris, sive Orator, sive Historicus sit: ejus anatomia tum Logica, tum Rhetorica instituatur, & ornamenta excerpantur. Posteà vertatur in vernaculum, & mox revertatur, ita tamen ut in reversione istâ non verbis Autoris insistant, sed sua (nec uno modo sed variata, quæ in parenthesi vel margine apponi possunt) substituant, luminibus tamen verborum, & ornamentis, quæ ante ex autore excerpsêre, non omissis. Subindè etiam ubi amplificationi locus est, diducant amplificentq; Autoris sermonem, sic ut justa aliqua Paraphrasis inde emergat. Jnterdum & vertendæ vices sunt, ita ut ê prosâ ligata fiat Oratio, contrà etiam ê ligatâ, ut oratione aliquâ Virgilij, vel Odâ Horatij, vel Satyrâ Juvenalis, prosa.

Jstarum posteà compositionum correctarum fiant à nonnullis, qui aptiores cœteris videntur, recitationes in publico, præsentibus aliquot Docentium Primariorum. Post recitationem moneri debent recitatores, si quid in elocutione & actione peccatum est. Certis temporibus *Actus* etiam publici instituantur, in quibus, coram majore auditorum coronâ, personam qualemcunqvè sustinere, & verba facere discat juventus.

Domi Orationes Ciceronis, Mureti, Baudij, Perpiniani, Cunæi, aliorumq;, quorum tersum, facilem dignumq; imitatu stylum Professor commendaverit:

Epistolas item Politiani, Erasmi, Baudij, Casauboni, & similium legant. Posteà ubi ex Ciceronianâ copiositate, in breviorem modum contrahere stylum, maturius judicium permittet, ad Plinium, Symmachum, Ericium Puteanum, Heinsium &c. accedant.

Ex Poëtis evolvant Virgilium totum, Statium, Lucanum, Ovidij libros Metamorphoseos, Tristium, Fastorum; Senecam deniq; Tragædum, autorem eò magis commendandum juventuti, quia diversa carminum genera, multa acumina, nihil spurcum, plurima verò vitæ salutaria præcepta habet.

Jam etiam post Terentium perlectum, Plautus evolvi potest, eâ adhibitâ cautione, ne omnia ibi reperta, sibi imitanda, imò multa sibi solicitè fugienda ducat adolescens. Nam ne repetam, quod antè jam monui, & cuivis erudito satis notum est, quòd dissolutos seculi sui, præcipuè autem juventutis gentilis mores, Comici isti describunt, à quibus Christiana pubes quàm maximè abhorrere debet: etiam sermo eorum, inprimis Plauti, nonnisi judiciosâ imitatione effingendus est juventuti. Sunt enim istic Archaismi, sunt alia per lusum ficta, sunt horridiuscula, quæ in epistolâ aliqvando forsan interspergi possint, sed in orationibus vitari debent, ut jam alij rectè monuêre.

Jn lectione autem autorum, quorumcunq;, observet excerpatq; juventus, si quod *incidit insigne verbum, si quid antiquè aut novè dictum, si quod argumentum aut inventum acutè, aut tortum aptè, si quod egregium orationis decus, si quod adagium, si quod exemplum, si qua sententia digna*

digna, quæ memoriæ commendetur, ut monet alicubi Erasmus.

Naturalis ſcientiæ, ex Ariſtotele alijsq; bonæ notæ autoribus depromptæ, compendium, quale eſt Magiri, exponatur: niſi Profeſſor ſuum aliqvod, vel brevius, vel captui ſuorum magis accommodatum, dictare mavult.

Abſolutâ Phyſicâ ad Geographiam, &, ſi fieri poteſt, Geometriam, Sphæricamq; accedatur.

Ubi Philoſophiæ fundamenta utcunq; perceperint Diſcentes, in ijs variè diſputando porrò exerceri debent.

Jn Prudentiæ Practicæ diſciplinis, inprimis Ethicâ, Ariſtoteles prælegatur, tùm ob ipſam doctrinam morum, qvam nemo veterum illo viro diviniùs excoluit: ſed ſimul quoq; ob Græcam Linguam. Nam etſi Demoſthenes artificioſiùs eloqventiam, quippè merus & in publico ſubindè auditus Orator, exercuit: hoc nihilominus ſeculo, quo Græcæ Orationes vix haberi, & Lingva iſta non æqvè eloqventiæ Græcæ, inprimis forenſis, quàm ſapientiæ ex Autoribus hauriendæ causâ, his in terris diſci ſolet, ſufficit ferè nobis (niſi aliquem ad conſequendum in eâ lingvâ ſummum faſtigium, peculiaris & gloriæ forſan plus quàm utilitatis habens impetus rapiat) ita loqvi, vel ſcribere poſſe, uti Ariſtoteles ſcripſit. Quamvis enim vulgò pro Oratore non habetur, non fruſtrà tamen *aureum eloqventiæ flumen*, non fruſtrà *copioſus eſſe in dicendo*; à Cicerone ipſo dictus eſt. Deinde ea viri hujus autoritas eſt, & meritò

eſt,

est, ut multa ejus legisse, commodeq; in usum af-ferre posse, magnum momentum habeat, non ad sapientiam tantùm, sed & famam sapientiæ asseqvendam. Deniq; materiæ, quas istud Oraculum tractat, meliores pleræq; & utiliores sunt, quàm in Demosthene, vel qvoqvam Rhetorum Græcorum. Quæ autem Orationis lumina & eloqventiæ præcepta vir ille habet, ea etsi à paucis leguntur, vel in usum transferuntur: digna tamen sunt, ad quæ diligentiùs legenda atq; observanda, animi non tyronum tantùm, sed & Doctorum advertantur. Aristoteli Plutarchi opuscula qvædam, tum & Poëtæ, Theognis, Phocylides, Menander, Opera & dies Hesiodi: deniq; Homerus ipse, fons & princeps ingeniorum, adjungendus; & quæ in eo peculiaria ac difficiliora sunt, explananda.

Theologiæ Studiosi, Græcæ & Hebrææ Lingvæ causà, uti &, qvò animum ijs fontibus imbuant, quibus aliorum postea mentes rigare debent, utriusq; Foederis libros, quà publicè, quà privatim legant audiantq;, & sensum primò literalem, rectè intelligere discant. Simul verò, ex utroq; Vet: & Nov: Fœderis Codice, loca inprimis pathetica, quæ ad DEI amorem, reverentiam, honorem hortantur, qvæ DEI iram & pœnas improbis minantur, qvæ afflictos consolantur, quæ vitæ hujus miserias, alterius gaudia explicant, & id genus alia, conqvirant notentq;. Quam utilitatem ea res habeat, in praxi posteà, & inprimis cum in publico dicendum erit, sentient sacrorum Tyrones.

Loca controversa satis maturè, opinor, in Academijs tractabunt. Conci-

Concionandi exercitijs, non mox coram populo, ubi vix est, qui corrigat moneatq;, quæ sunt monenda; ubi etiam inexercitati ejusmodi Tyrones publicam lucem male plerumq; sustinent, ac contemptui quodammodo vulgi, & se, & verbum Divinum exponunt; sed primùm intra Gymnasij parietes, initientur. Et sumant subindè textum ex Salomone, Syracide; vel etiam N. Test:, qui juventuti quadret. Nam ità & dicens, qvantū satis est, excitabitur, & hæc aliquid boni, atq; ad mores componendos faciens discet: quandoquidem in templis non crebrò fert occasio, ut conciones juventuti aptari possint, plerumq; etiam hæc minùs attendat animum. Si quis est, qui Latinè se ità exercere malit, quod sanè liberum sit, tùm interim pueri illi, qui Latinos sermones nondum intelligunt, parænesin à suis Præceptoribus audiant: quam isti, vel suo ex ingenio, prout res nata exigere videbitur, sumpto tamen semper de pietate in DEum, reverentià in Parentes & seniores, de vitæ modestià &c. argumento; vel etiam ex Mathesii commentario in Syracidæ Ecclesiasticum, aut simili Autore depromptam, coram minoribus instituent.

Quod restat, Christum Filium DEi unigenitum, oro, ut quemadmodum olim in terris publicè Doctores puer docuit, ita nunc porrò omnes & Docentes, & discentes Spiritu suo regere velit, quò & illi, quæ salutaria sunt, rectè tradant, & isti debitè percipiant, ad nominis Divini gloriam, & publicum orbis emolumentum.

D. S. M. Præc. & P. sal. pl. d. J. P.

STudia adolescentiæ, remq; adeò Scholasticam juvare cujusvis eruditi curâ & vel subactissimorum ingeniorum industriâ dignum opus est. Illâ enim operâ Ecclesiæ & Reipublicæ ipsius sementis ac prima velut herba juvatur foveturq;. Vnde me quoq;, etsi nullâ vel ingenij fiduciâ, vel doctrinæ opinione audacem, in istis verò Scholasticis, cum aliis in eâ arenâ exercitatis de palmâ certare haudquaquam cogitantem, ardor tamen hisce diebus invasit ad texendam hanc methodum, quâ erigendis Gymnasij nostri studiis nonnihil adjumenti afferri posse spes fuit. In eâ an aliqua novitatis vel speciem vel gratiam habitura sint, nec ne, parùm moror, dummodò utilia esse judicentur. In bonum enim juventutis hæc dirigenda sunt, non in aucupium famæ: quæ quia ex hoc pulvere nec peti debet, nec potest facilè sperari, tanto minus etiam ornare ista conatus sum, ne in re minutâ & ornari negante operosior esse viderer. Quanquam verò non dubius sum, quin in his quoq; meditationibus posterior dies prioris futurus sit magister: quicquid tamen hujus est, prout calidum â matre suâ rubet, V. Nob. Amplit. & juxta cœteris Nobiliss. Collegis mitto, legendum censendumq;. Arbitror enim in hoc quoq; argumento, quantumvis vile ac levidense videatur, non esse indecorum vel poscere vel dare consilium. Vale Vir Nobilissime & Amplissime, & mihi studiisq; nostris favere perge.

Ex Musæo, 17. Dec. Anno 1652.

SIGISMUNDUM de LINDA,

Magnifici & Nobilissimi Viri

ADRIANI de LINDA,

Burggrabij & PræConsulis Dantiscani
Filium,

Epistola de rectè instituendo Eloquentiæ Romanæ studio.

BRevis, sed grata mihi fuit, Nobilissime Adolescens, Epistola Tua: gratum quoq; quod in ea exprimis, styli probi desiderium. Illud tamen miror, petere Te à me eloquentiæ Latinæ semitam, cùm eos audias Magistros, qui isto studio jam pridem os famæ laudemq; non exiguam meruêre. Ut eorum adeò tam præcepta quàm exempla gratiam mihi facere videantur laboris, quem vos (puto enim Te non tuo tantùm, sed & fratris Tui nomine mecum agere) itis mihi impositum. Haud injucundum alioqui futurum mihi, qui spei vestræ votisq; gratificaturus, sic simul juventutis meæ vestigia lubens relegam. Utinam modò aliquid vobis meq; dignum per vires vel negotia efficere liceat. Sed nunc molestis laboribus ita implicitum me sentio, ût animi impetum huc vertere non possim: res verò, quam petis, utcunq; videatur levis, ejusmodi tamen est, ut propter viam & aliud agendo rectè perfici nequeat. Nam & meta in hoc

eloquentiæ curriculo adeò seu altè seu longè posita, apparet, ut vix rarissimus quisq; eam attingat, aut videri possit attigisse: & si quis pertigit, vix profectò tam rectô ad eam itinere pertigit, ut idem alijs paritèr tenendum suadere queat. Multis ferè erroribus, multis ambagibus casibusq; venitur ad hanc Laviniam. Quidam etiam rariore seu agilitate seu vi ingenij transiliêre aut perrupêre obstacula, non ausuri per eadem ducere alios. Viam itaq; ad decus istud, quod plerisq; nostrûm magis eminùs cernere, quàm assequi datum est, monstraturo, meditatione accuratâ opus est, & tanto quidem majore, si teri hoc iter feliciori pede ab alijs velimus, qvàm ipsi triverimus. Sed tempore nunc, ad justi quidem operis manuductricem tabulam parciùs suppetente, lineas aliquas duxisse, contenti erimus, posteà aliquando cum per otium alios, qui ante nos argumentum hoc tractarunt, inspicere licuerit, diligentioris epistolæ penicillô, aut etiam coràm excolendas, absolvendasq;.

Primò autem brevitèr indicandum existimo, qualis sit ille stylus, ad quem vobis adspirandum putem: deinde qvô modô parandus. Jn utroq; enim rectè dijudicando non parva existit difficultas: & multùm utrobiq; hic non autores tantùm sed & ætates dissentiunt. Plurimis equidem seculis Cicero non solùm summus ab omnibus, sed & unus omnium Orator esse judicatus est. Alio ævo Senecæ acumen majore exceptũ est applausu. Alijs Plinius junior omnium visus est esse elegantissimus. Alijs Paccuvij, Plauti, Lucilij sordes

pro

pro summâ munditie habitæ sunt. Etiam nostra, certè Parentum nostrorum ætas Rhetores vidit, qvi dicendi genere antiqvorum nullos imitati, plurimos tamen & admiratores sui & imitatores repperêre. Et fatendum sanè est, pro naturæ cujusq; , tum & seculi genio, tam dicendi formas, qvàm de ijs judicia variare, & qvi ad unam quasi speciem redigere illa velit, haud aliud agat, qvàm si unô planè vultu conspici homines omnes, unôq; habitu indutos velit. Attamen ut vultuum alij præ alijs habent, quod probari meretur; pictores verò, qvod in singulis pulcherrimum conspexêre, conferunt in unum, sicq; consummatissimum aliqvòd opus effingunt: ita Orationis genus in alio aliud, & aliud præstantius alio existit: Sed boni Rhetores comportatis in unum, qvæ in singulis excellerent, Ideam inde effinxêre, qvæ aut perfecta, aut perfectæ vicina esset. In ea qvin partes pręcipuę & velut stamina ipsa ex Cicerone petantur, & peti debeant, nemo est sanè recteq; judicantium, qvi neget. Ego qvidem ejus planissimè sum sententię, qvanqvam non ignarus defectuum, quos jam pridem illi objecit severitas Censorum. Nempè, *lentum esse in principiis, longum in narrationibus, otiosum circa excessus, tardè commoveri, raro incalescere, paucos in eo sensus optimè & cum qvodam lumine terminari.* Sed quid si quæ in eo culpamus, ille ultrò quæsivit, dum scilicet tempori & auditorio suo se accommodaret? Hoc quidem nemo non, qui Ciceronem legerit, facile agnoscat, prudentissimâ illum manu regere Orationis suæ velut jugales,

& nunc leni cursu, nunc incitato, nunc humilem, nunc magnificum, nunc deniq; medium invehi. Non negem tamen, negotiorum etiam varietatem, & animi nunc magis nunc minùs erecti atq; excitati dissimilitudinem, Ciceronem sibi ipsi alicubi imparem ac dissimilem reddere. Quis enim est hominum, qui æquè semper contentos ingenij nervos tenere possit? quem ita eodem sidere afflet æther, quin aliquando se superare, aliquando & deserere videatur? Jnterim is haud dubiè est, qui meritò tot seculis fastigium tenet Oratorium, aut ei saltem stetit proximus. Quod age ostendamus, factà Ciceronianæ Orationis cum corpore aliquo numeris maximè suis absoluto, contentione. Vix enim animum per omnia circumferens, quicquam corpore sermoni similius reperio; unde & veteres dicendi præcepta tradentes subindè ad corporum figuram videmus alludere. *Oratio*, inquit Fabius, *sicut corpus hominis, ea demùm pulchra est, in quâ non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sangvis implet membra, & exsurgit toris, atq; ipsos quoq; nervos rubore tegit & decore commendat.* Quæ verba, uti demonstrant satis, ante me, quem professio de Corpore cogitare invitat, alios quoq;, quanquam non Medicos, Orationem cum corpore comparâsse; ita capita nonnulla complectuntur, quibus res illæ inter se conveniant. Nos tamen paulò altiùs orsi, similitudinis momenta, quantâ properantes possumus, diligentiâ excutiemus.

Primùm quidem in Corpore id solet desiderari, ut ex sangvine bono puroq;, ex partibus item omnibus

integris

integris incorruptisq; constet. Si enim vel sangvis, ex quo corpus coaluit, nimiâ bile flavus, vel pituitâ albens, vel melancholia ater sit, si item partes singulæ minùs rectè habeant, id corpus à perfectæ sanitatis apice longè abest. Orationis eadem sors est. Nisi enim ex verborum simplicium puro quasi sanguine procreverit, nisi modis dicendi ceu membris minoribus constet labe intactis, sana esse ipsa atq; integra non potest. Ciceroni præ omnibus alijs laudem hanc puritatis deberi, ne illi quidem negant, qui aliàs multa ei negant adesse. Perlustra mihi Plautos, Varrones, Catones, quàm multa reperies in ijs exoleta, rancida, & nævorum, ne dicam, ulcerum instar, fugienda. Ne Terentios quidem, Salustios, Senecas, Tacitos, Svetonios, Floros, ita sinceros reperies, quin alibubi in iis cavendum quid occurrat. Solus (nisi fortè Cæsarem aut etiam Nepotem ei suppares facere lubet) solus inquam, Cicero verba & phrases habet castissimæ Latinitatis, & non labe tantùm sed suspicione etiam labis carentes, secureq; adeò, ubi lubet, adhibendas.

Puritatem sangvinis sequitur coloris purpura, quæ ex candido rutilans, solaris instar radij, corpus illustrat, & amœnè lucidum efficit, minùs aliàs pallore lurido futurum aspectu gratum. Huic luciditati respondet in Oratione perspicuitas, dos ejus præcipua & sine quâ finem suum illa ægrè assequitur. Ideò enim loquimur, ut reconditos animi sensus alijs exponamus, quod quò facimus clariùs, quò luculentius; hoc operæ nostræ, quam loquendo sumimus, ratio nobis constat perfe-

ctiùs,

ctiùs. Ciceronis Orationem lux hæc perspicuitatis maximè semper spectabilem fecit: & cum plerosq; alios diversam ab illo semitam ingressos nescio quis noctis color inumbret, ille velut facem solis in lingvâ videtur ferre, ut sine difficultate intelligi possit: non remorans quemquam, nisi vel hominum ejus temporis, vel rituum vel negotiorum aut etiam dicendi modorum ignarum.

Proximum inde, quod ad corporis laudem requiri solet, est plenitudo staturę atq; habitus, ille non in altum modò justâ proceritate exsurgens, sed sanæ etiam carnis decorâ mole ossium nervorumq; robora circumfundens. Neq; enim vel pumiliones, vel nimiâ macie graciles placere solent, aut certè ut placeant, magnis animi dotibus compensare habent, quod corpori deest. Ita non placet oratio vel abjecta nimis & quasi nana, ac humi repens, vel exangvis & macilenta. Ciceroni, si cui unquam, contigerat ista sermonis & sublimitas, egregium ferens decus majestatis, & toris suis pulcherrimè exsurgens plenitudo. Certè creditum semper est, faciliùs in illo reperiri, quod demi, quàm quod possit addi: & magis is magnitudine suâ, quàm parvitate aut inopiâ aliquâ laborare visus est adversariis suis.

Adhæc in corpore laudabili spectari solet decens partium omnium compages & aptè sibi respondens membrorum proportio. Cui si gratum colorem sangvinis incorrupti copia affuderit, emergit inde, quæ obtutum humanum afficere maximè solet, nativa venustas

nuſtas & pulchritudo, ſi proceritatem natura addidit, tanto conſpectior eſt corporis ejusmodi majeſtas: ſed ſine hoc membrorum commenſu, reſponſuq; perfectum non erit, quantumcunq; etiam colore vel mole ſuperbiat corpus. Orationem paritèr nihil propemodùm magis commendat, quàm congrua compoſitio, & velut ad numerum amuſſimvè exacta periodorum commenſuratio: quâ fiat ſcilicet, ut ſingula in ſermone non tantùm apta inter ſe connexaq; ſint, ſed & ita ſuis poſita appareant locis, ut gratiam ſibi invicem affundant, & ne quidquam in eo ſit vel hians vel prominens nimiùm, quodq; vel ventrem faciat, vel trahat caudam. Cicerone nullus unquam vel ante vel poſt ipſum dixit ordinatiùs compoſitiùsvè: nullus fluentem Orationis impetum curâ majore & exquiſitioribus velut legibus numerorum devinxit. Unde & nonnullis vel æmulatione, vel imitandi deſperatione illi adverſis, fractus, lentus ac quaſi ligatus nimiùm eſſe viſus eſt; quia ſcilicet diligentiſſimè omnium eloqventiam, illam ſolutam nimis & velut patente campo liberiùs exultantem habenis & vinculis quaſi impoſitis, in orbitam certam ac velut gyrum adduxit.

Jnſuper verò Corporis cujusq; commendationi multum addit agilitas. Qvorſum enim vel ſanitas vel proceritas toroſa, vel conveniens ſymmetria profit, ſi ſegne, ſi veternoſum, ſi torpidum ſit corpus, ſi re nobiliſſimâ careat, Spiritu, quo concitetur, quo in actus ſe dignos impellatur. Eodem modo Oratio qvantumvis ſana, quantumvis plena, quantumvis concinna,

nihil effecerit, si jacet torpetvè marcida, si non concitatur, non incalescit. Fine profectò illa excidit suo: neq; movere alium potest: nisi ipsa semet commoveat. Navis est in mari mortuo, quæ nec ipsa provehitur, nec quenquam provehit. At quæ excitata, quæ spiritûs atq; animæ veluti plena est oratio, quò non ducit agitq; corda mortalium?

Ciceronis facundia qvin vivida agilisq; fuerit, nemo dubitare potest, qui eum legit, multo minus qui meminit, quantis stimulis populi Romani, Judicum, Senatûs, Cæsaris deniq; dictatoris animos agitârit: quibus velut facibus admotis usserit Antonium, Catilinam verò urbe expulerit. Non equidem is æqvè semper concitatus est: sæpè lenis instar rivi defluit: & nempè Senatorem se, nonnunquam & Philosophum gravi incessu ostendit. At conditos licet, semper tamen insitos habuit præclaros illos igniculos laudatosq; impetus, quos quoties exsereret, nullum fuit tam clausum, tam impenetrabile pectus, in quod vis illa eloquentię, plenis quasi velis sese non inferret.

Sed hactenus Corpus expendimus nativis dotibus locuples: qveis ubi cura atq; industria accessit, non conservari id tantùm in illo velut habitu, sed evadere etiam pulchrius, robustius agiliusq; potest. Habeat corpus sanitatis, habeat perfectionis omnes numeros; si malè alatur, si illotum impexumvè maneat, illuvie suâ sordescet & gratiam omnem amittet. Contra, adde corpori ita absoluto vestem decoram, pecte capillitium, elue oculos, adde annulum, injice torqvem, dupli-

duplicatum videbitur genuinarum virtutum decus. Adde itidem Orationi puræ, lucidæ, justô habitu plenæ, Spiritu vegeto animosæ, adde, inquam, ornamenta Rhetorum, adde lumina sententiarum, adde figurarum gemmas, adde similitudinum purpuram; non tantum ab ingenio suo habuisse opum, quantum ab istis accepisse videbitur. Jam uti Corpus qvantumvis consummatum ad pugnas ineptum sit, nisi arma habeat, quibus se muniat, feriat alium: ita Oratio quamvis propriô censu ditissima, nisi Rhetorum armis accingatur, tueri se adversùm alios ijs armis indutos non potest.

Cœterùm dum coli sermonem, dum pecti, dum seu togæ seu sago non impolito similem esse cupio, haud velim videri lascivientem probare orationis luxuriem, illam, ut sic loqvar, de capsula totam, illam mollem & mera ungventa spirantem, illam bracteatam, illam offucijs & lenocinijs meris fidentem. Minimè placet mihi nimia ista in conquirendis pigmentis ambitio, & meretricium quid sapere, non Musarum castitatem decere videtur. Ætati tamen juvenili, cui matura non solent arridere, concedi aliquis in talibus ludus potest, nec severà nimis falce quicquid lætiori luxurie in succulentis ingenijs exuberat, recidendum est. Satis est scilicet paulatim illi luxurianti virilis gravitatis habitum ostendisse: quem rectis monitis inolescens & per se ad siccitatem vergens ætas magis magisq; adamabit. Sed de his satis.

Tempus jam est docere, quomodo ad illam Latini styli & probatæ orationis facultatem (qualem in Cice-

cerone maximè enituisse ostendimus) perveniri possit. Ac breviter ut me expediam, ajo, ita perveniri posse, qvomodo ad aliarum lingvarum peritiam perveniri solet. Audiendo nimirùm legendoq; quàm freqventissimè eos, qui lingvæ cujusq; peritissimi esse judicantur: sed simul semper lingvæ ejusdem exercitium partim sermonis, partim styli freqventiâ continuando. Ac quia Cicero facundiæ Romanæ, ut diximus, non Coryphæus tantùm, sed & parens esse, omnium sanè judicantium, atqvè eorum etiam, qui minimè imitati eum videntur, calculo censetur, is inprimis audiri, qvà potest, is legi, is inscribi mentibus, eô velut alimentô præcipuô nutriri atq; adolescere in nobis Latina eloqventia debet. Ab illo purè, perspicuè, plenè, compositè, ornatè dicendi forma ac modus petendus est. Atq; ut tenellæ ætati lac & optimus & unicus esse cibus solet: ita qui Latinæ se addixêre lingvæ, uni primùm maximè assvescant dictioni Ciceronianæ. Quod equidem fiet, non solum tantùm Ciceronem, sed eos quoq; ponè legendo imitandoq;, qui vel à Cicerone proximè absunt, qualis est Cæsar, Cornelius Nepos, Fabius; vel Ciceronem ipsum in succum & sangvinem convertêre, eumq; unicè & spirant & loqvuntur; quales sunt ex recentioribus: Paulus Manutius, Longolius, Bembus, Muretus, Politianus, quanquam hic liberiore & suô magis genio fertur. Jlli enim Ciceronis imitatores plerumq; & faciliores ipso sunt, seu quod citra maturitatem illius substitêre, seu quod argumenta tractant notiora, utpotè temporibus

nostris

noſtris propiora, eòq; etiam jucundiora animis diſcentium. Ferè etiam nitidiores ipſo Cicerone dixerim, qvod ille ſine curâ neglectèq; ſcribat ſæpè, hi verò meditatè ſolicitèq; utplurimùm. Quid, quod pleriq;, qui imitantur alium, omiſſis in illo, quæ trita videntur, lumina ferè verborum, phraſiumq; & quicquid præ alijs elegantiâ aliquâ ferit animos, annotant, convertunt, atq; ex his veluti floſculis, maximam partem, ſua conficiunt? Cœterùm Ciceroni & his, qui orbitæ ejus preſsiùs inſiſtunt, immorandum puto eousq;, donec vultum certum duxiſſe videatur oratio; & ipſe eloqventiæ candidatus eò roboris pervenerit, ut quemvis quaſi cibum ingeſtum vincere atq; in Ciceronianum, ut ſic loqui liceat, Chylum commutare, vi quâdam alteratrice poſſit. Hoc enim niſi fiat, non concolor, neq; gratâ etiam variegatione interſperſum corpus ſermonis efficies, ſed aliquid centonem aut Chimæram referens. Sit parata, ſit ſtructa ex Cicerone domus, antequã picturas & varij generis ſupellectilem convehas. Non ſolent boni & providi parentes liberorum uda & ſub rectæ diſciplinæ ſole nondum ſat indurata ingenia concredere promiſcuo, & ut ajunt, mundano conſortio: ſed tum demùm, cum ita altè inſedit virtus, ut jam non elui facilè vel tranſire in alium colorem poſſit. Eodem modo ad variarum Autorum lectionem imitationemq; tùm demùm admitti ſuademus Eloqventiæ ſtudioſum, ubi puritatem, perſpicuitatem, plenitudinem, concinnitatem atq; elegantiam, laudata antè in Cicerone & ei proximis bona, penitiùs

 hauſerit.

hauserit. Sed & in istis autoribus delectu atq; ordine certò procedendum est. Ad familiaria quidem Colloquia utilissimus Terentius erit, imitatione, si pauca excipias, dignissimus, nec post Ciceronem, sed cum Cicerone juxta legendus autor, dum illud caveri possit, ne de moribus, quos gentili adolescentiæ usitatos graphicè depingit, pravum quid affricetur juventuti. Quæ causa est, cur nonnulli sacros Castellionis Dialogos, aut floridissimi simul & festivissimi Erasmi Colloquia in ejus locum suffici maluerint. De Plauto idem judico. Est is absolutissimum sermonis Latini, qualis olim vulgo maximè obtinebat, exemplar: Sed majore etiam quàm Terentius cautione legendus, quòd non tantùm moribus, sed & sermoni ipsi periculosa multa habet: quibusq; adeò vix uti liceat, nisi veniâ rogatâ, & appositis velut amuletis illis: *ut sic cum Plauto loqui liceat.* Multò confidentiùs Curtium, Livium, Vellejum juventuti commendem: quorum si Oratio non tantum verborum ad vulgaris Colloquij apparatum suppeditat: at suppeditat verba selecta, splendida, suppeditat conciones disertissimas, suppeditat tot locorum, tot personarum, tot consiliorum, tot præliorum, tot aliarum rerum gestarum pulcherrimas descriptiones: quæ maximâ jucunditate, & cum spe divite fructûs animo illabentes, plurimum cuiq; & ad stylum poliendum, & ad omnem vitæ usum, vobis imprimis, qui ad publica munia formamini, afferre possunt utilitatis. His subjungi velim Salustium & ei similes, minùs quidem lacteæ dulcedinis, quam

quos

quos hactenus laudavimus; plus verò aceti, sed prudentis illius habentes, & nimirum durandæ acuendęq; eloquentiæ, qvàm saginandæ jam aptiores, siccaturosq; adeò paulatim, si quid nimij roris ex illis prioribus ubertatis & copiæ alumnis redundans orationi supernatet. Jdem præstabit uterq; Plinius, sed præcipuè minor, sincerissima Latini eloquij mella stillans Autor, sed idem ubiq; animis dulcissimos figens aculeos. Nullum profectò in omni antiquitate novimus, aut sensibus ingeniosiorem, aut sensa ingeniosa pari facilitate ac suavitate exprimentem. O quàm diversus ille est ab obscuris quibusdam nostri ævi scriptoribus, qui plerumq; nubibus, quas alta & sæpè inania spirantes captant, ita se involvunt, ut aciem omnem legentium effugiant! Sed restant duo Scriptores, Seneca & Tacitus, quos ideò ultimo loco memoro, quia omnium imitatu difficillimos judico, quippe & ab alijs propè omnibus diversos. Seneca altus spiritu, ingenio acutus, Orationi Romanæ, pondere suo & mole nimium, ut ipsi videbatur, lentæ obtusæq; novos mucrones pręfixit; &, quò pluribus istis locus esset, grandiusculas illas obesasq; periodos in plures minutas ac quasi frusta concìdit. Autor rerum plenissimus, quas ab ingenio & eruditione uberrimè affluentes ita promit, ita quasi ejaculatur, ut ferè ad tertiam quamq; vocem mens legentis acerrimo veluti stimulo compuncta incendatur, aut quasi fulmine tacta obstupescat. Ei ingenij & sermonis acie non impar, sed argumento dissimilis, magisq; adeò sedatus ac gravis Tacitus est: Vir

paucorum

paucorum verborum, sed prægnantium; sensuum optimorum in se dives, alienorum altissimè penetrans, maximus adeò artium Politicarum habitus nunc Promus condus. Sed uterq; non ob rarum duntaxat Prudentiæ omnigenæ, quod in illis coruscat, lumen; sed ob ipsam etiam efficacem & robustam styli brevitatem in maximo hodiè apud omnes ferè pretio & honore est. Et scilicet uti ad grandia Galeni pocula (ne mirère Medico Medica subindè in mentem venire) nauseant hodiè multi, contra verò parvæ molis medicamina, qualia ferè Chymica sunt, præferunt: ita concisam argutamq; istorum dicendi rationem, post Justum Lipsium, felicem eorum in scenam literatam productorem, plurimis probatam videmus. Utinam ne arduam magis, quàm ut ab ullo ingenio possit attingi: alioquin si parem quis ad eam attulerit indolis industriæq; vim, minimè improbandam. Si enim Orationi omni is finis propositus est, ut animo hominis persvadeat, quæ velit: nihil refert, brevine an circumducto verborum ambitu finem illum obtineat: non magis certè, quàm si acu aut pugione efficere quis conetur, quod ingente alius machæra; aut acuto silice, quod alius immani saxo. Ac tantò minùs quidem abhorrendum hodie videtur nervosum illud & plùs spirituum, quàm carnis continens dicendi genus; quod extra scholas vix aut rarissimè in publico datur perorandi locus, nunquam sanè ita subitò, quin largum satis tempus concedatur meditandi. Nam in repentinis profectò ingeniosam illam loqvendi rationem velle sequi, nihil credo aliud

fuerit,

fuerit, quàm in præcipiti crepidine ſaltare velle. Sed ferè noſtro ſeculo Latina Eloqventia ſub domeſticæ curæ diligentiæq; incudem devenit; ex quâ quid mirum, ſi pleriq; monetam quàm minimâ mole plurimùm valentem expetunt, & ſcilicet aureos nummos, quàm argenteos, aut paucos argenteos, quàm cupreos multos numerari ſibi malunt? Porrò eruditis ferè ſolis Latinè hodie ſcribitur: qui ſi ſeculi ſeu vitio, ſeu more, orationis habitum concinnum magis, quàm longum probant, ſi ad dictionem facilem, nulloq; acumine animos ferientem nauſeant: cur non id agamus, ut dicendo illis probari potiùs, quàm diſplicere voluiſſe videamur? Jnterim nulli eloqventiæ Tyroni autor eſſe velim, hos uti autores Laconicos ſibi in primis ſtudiorum crepundijs imitandos proponat. Lac puero convenit, & malè aget, qui lactis aliquod extractum ei vel ſpiritum dare maluerit. Gracile, macrum & tenue corpus educes, ſi quod meris quaſi eſſentijs, ut Chymicorum voce utar, nutrire velis. Malè creſcet arbor, quam parvo, quantumvis artificioſâ deſtillatione elicito humore irrigabis. Plenâ ſolent Agricolæ lunâ agris credere ſemina; lætiorem ſic ſibi ſegetem pollicentes: ſæpè & aquæ prius, quàm arvo grana injiciunt, quod faciliùs uvida proventura arbitrantur, quàm arentia. Magis quoq; ſemper probamus fœtus, quos procedens ætas efficiat, quàm quos prima accipiat ſiccos. Deniq; ex longiore togâ brevem facere proclive eſt, non contra: nec difficulter res lautas dives imminuerit, at difficulter exiles amplificat pauper.

Enumeravi præcipuos Authores ordine certo evolvendos imitandosq́; : quibus ex Magistrorum Amicorumq́; Latinitatis melioris intelligentium arbitrio, addere postea alios licebit ; neq; eos tantùm qui prosâ scripserunt: sed illos etiam ex senatu Apollineo Proceres, Poëtas. Quos inter eminent Vergilius, ille Latini carminis tum princeps, tum meta ultima; Horatius, ingens lyrâ, & opere quasi tessellato varius æqvè atq; admirabilis, Statius nihil non magnificum spirans, Lucanus fervidissimo ruens penetransq́; animos spiritu, Naso festivus, copiosus, & imitatu difficillimæ facilitatis, doctus Manilius, castigatus tornatusq́; Claudianus. Planè autem necessariam futuro Oratori Poëtarum lectionem censeo; non tantùm, quod ingenium ad inventionum sublimitatem extollunt; sed etiam quia vocabula orationi suppeditant significantia & sonora. Quod si cui etiam vena ad versûs faciendos salit, is inter alia ex Poësi, in curriculo eloqventiæ, hoc sentiet commodi, quod copiæ verborum tantò promptiùs assvescet. Poëta enim, quia numeris omnia alligat, cum non quodvis vocabulum sibi aptum reperiat, multa quasi explorando perquirere identidem, multa memoriâ repetere necesse habet. Unde id tandem assequitur usu crebrô, ut largissimam vocum synonymarum habeat penum. De his porrò cum aptissimam & qvadrantissimam quamq́; seponit seligitq́; sibi judicium Oratoris, nascitur inde tantò lautior atq; exquisitior Oratio.

Cœterùm sunt aliqui adeò fastidientes seculi sui, ut Auto-

ut Autores nonnisi antiquos laudent, legendi verò imitandivè industriæ subtractos omninò velint recentiores. Sed nos haud adeò ingrati sumus erga divinam benignitatem, quin amplissima lubenter agnoscamus dona, quæ serioribus quoq; seculis per resuscitatas literas contingere voluit. Fatemur potius apertissimè, tulisse & hæc viros ad antiquorum eruditionem & eloqventiam propè admodum accedentes, aliqua etiam superiores antiquis, certè post antiquos, qui fontium instar præhabendi sunt, legi dignissimos. Non jam denuò recensebo, quos ante nominasse memini, Manutios, Bembum, Longolium, Muretum, nec illum uberrimum omnis eruditionis facundiæq; Oceanum Erasmum. Sed ijs jam meritò appono Georgium Buchananum Scotum, virum tam ligatæ, quàm solutæ orationis facultate antiquos penè provocantem. Ex eâdem gente, stylo longè alio & magis operoso magnam hoc seculo famam adeptus est Joannes Barclajus, magnifici spiritûs & floridissimæ Latinitatis scriptor, juventuti non jam amplius commendari indigens, quia hanc Poëticâ non argumenti tantùm, sed & eloqvij illecebrâ, svavi præterea inventionum acumine, tum exquisito & alicubi penè nimis pomposo verborum apparatu ferè plusquam satis trahit. Jn epistolis mira est styli castitas, quam Casaubonus adhibuit. Magna indolis promptitudo & citra curam elegans styli festivitas apparet in Baudianis. Acutus & comptus in scriptis suis Heinsius, virilis & ponderosus, nec minus profundus quàm tersus ubiq; Grotius, purus & gravis

uterq; Scaliger, nisi quod pater splendidior alicubi, & vi ingenij industriæq; fertur majore. Jn Historiâ, præter ante nominatos, Turselinus & Maffeus non vulgariter enituêre. Argutâ brevitate excellit Erycius Puteanus, Præceptorem Lipsium ita imitatus, ut magis quàm ille, imitatu se & facilem & dignum effecerit. Eleganter primam Bredæ obsidionem descripsit Hermannus Hugo, alteram Marcus Zuerius Boxhornius. Belgicam Reidani Historiam scitè admodum & Corneliano sed Cęsarianâ facilitate temperato acumine vertit ex vernaculo in Latinum Dionysius Vossius, magni Rhetoris vel Polyhistoris potiùs J. Gerardi Vossij filius. Quem per eundem campum secutus est Famianus Strada, vir claræ facundiæ, & penè classicis Latinitatis Autoribus comparandus. Hos itaq; & his similes (neq; enim omnes jam succurrunt) pervolitandos sibi ducat eloqventiæ alumnus: nonnullis verò, prout genius vel prudens Magister suaserit, selectis immoretur. Nullum autem ita percurrat, quin, quæ maximè arrident, excerpat. Labilis est memoria nostra, & facilè eam fugiunt, velutq; dedignantur, quæ ipsi priùs annotandi industriâ non fuerimus dignati. Ad eam rem quidam libros certis titulis digestos habere solent, nec improbo ego: sed lectionis impetum & quasi cursum inhiberi nolim solicitâ ejusmodi & morosâ titulorum inquisitione. Quin potiùs, ut quidq; occurrit, referri suadeam in adversaria, unde, si lubet, posteà sub certa quasi signa redigere omnia licebit. Excerpta ejusmodi identidem si relegantur, sponte suâ, scripturo aliquid

ro aliquid occurrent, ſed ea, ut aptè quisq; ſua faciat, elaborandum eſt. Tyronibus utcunq; condonari poteſt, ſi operi ſuo aliena, prout invenerint, innectant. At aliquousq; in hoc ſtadio progreſſis turpe ſit, non cocta & ἀπλοίωσιν legitimam minus paſſa autorum quaſi fruſta reponere, ſpectanda & recognoſcenda alijs. Similia efformanda ſibi, non reddenda eadem putent; aut gemmam quidem aliquam mutuari fas ducant, ſed ita, ne facilè cuivis appareat, unde petita ſit: vel ita ſaltem aptè ponatur, ut non alium magis locum decere videatur. Ad id prudentiâ imprimis opus eſt, optimâ ut rerum humanarum omnium, ita hujus Oratorij curriculi moderatrice. In qua non minus ſemper, quàm in eloquentiâ ipsâ proficiendum eſt futuro Rhetori. Quemadmodum id quoq; ſedulò curandum illi eſt, ut cum verborum ſuppellectile in ipſo rerum creſcat apparatus. Alioquin enim inanem dabit ſonum, eritq; Pygmalioni ſtatuam adamanti, aut Jxioni pro Junone nubem amplectenti ſimilis. Et verò fruſtra de condimentis quis cogitet, niſi cibi adſint: fruſtra de phaleris, ſi deſit eqvus. Porrò etiam difficilius eſt rerum habere copiam, quàm verborum. Umbra hæc ſunt, quæ facilè ſeqvuntur corpus: cum contra quisq; multas myriadas eloqui proclivius poſſit, quàm unum præſtare aſſem. Itaq; rerum ſimul habenda cura eſt, quibus niſi plenus ſit animus, lingva non erit verè diſerta, & certè, quod ille ait, loqventiæ multum, parùm eloqventiæ habebit.

Expectas forſan, Nobiliſſime Adoleſcens, ut, poſt-

quam acceperis, quos & quomodo imitari debeas, jam de lingvæ ſtyliq; exercendi generibus porrò diſſeram. Sed longiùs, quàm initio propoſueram, provectus ſum, & reliqua iſta Magiſtrorum Veſtrorum diligentiæ relinqui rectiùs puto. Hoc tamen obiter moneo, quod ſatis dici nunquam poteſt, exercitij aſſiduitatem in hac eloqventiæ palæſtrà utramq; paginam facere. Sæpè loqvendum eſt benè loqvi volentibus, benè ſcripturis crebrò & cum curâ ſcribendum. Rectè Seneca; *Nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera & intenta.* Ego in hoc campo facundiæ facilè alijs palmam concedo: ſed ſi quid in eo profeci, magnam partem crebris juventutis meæ exercitationibus debeo. Contigerat mihi Magiſter mei valdè amans cupienſq;, atq; idem puritatis Ciceronianæ, qua penitùs ipſe imbutus erat, diligentiſſimus Inſtillator. Hunc ille unicè autorem & laudabat mihi & enucleabat; lumina verborum in eo ſubindè oſtendens, ſed imprimis quoq; compoſitionis artificium, pulcherrimis periodices juncturis nexum ligatumq;. Juxta verò quotidie ad ſtylum vertendum nos invitabat: argumenta proponens ſubindè alia & formas exercitij diverſas; puto, ut ipsâ novitate arrigeret diſcentium animos. Jnterdum Latinum aliquid ex Officijs Ciceronis, aut ſimili aliquo libello, reddere vernaculo ſermone; mox vernaculum quid in Latinum traducere jubebat. Sæpè ut ad copiam & varietatem verborum nos aſſvefaceret, unam eandemq; ſententiam alijs ſubindè atq; alijs non tantùm verbis, ſed & figuris quà Grammaticis, quà Rhetoricis

ricis exprimi, mox quæ unâ continentur periodo, amplificatione diduci in plures, sæpè & ex unimembri periodo, bimembrem, quadrimembrem &c. idq; alio atq; alio modo fieri exigebat. Idẽtidem qvoq; Oden aliquam Horatianam prosâ mutari, interdum prosam in ligatam transferri jubebat. Aliquando Chria vel Gnome, aliquando laudatio rei vel personæ, aut etiam vituperatio, aliquando Epistola injungebatur. Sic ad majoris operæ gymnasmata, & ad orationes in pulpito habendas surgebamus: quibus ipse primas lineas præfigurabat, domi ingenio, industriâq; ex rerum & verborum, quæ quisq; Autores legendo congessisset, sylvâ explendas. Tradebantur simul Ethices aliarumq; artium præcepta; ut sic lingva animiq; cultus simul procederet. Ego, ut viro optimè de me merito (quanquam eo non ita, ut oportuit, nec quamdiu oportuit, usus sum) faustissima omnia, ita tibi similem precor Magistrum: & quia, opinor, contigit, ut recte eo utaris, opto. Jnterim hæc qvoq; monita ab amico Scholasticarum Exercitationum magis fructum jam qværente, quàm servante memoriam profecta, haud tamen, ut arbitror, inutilia futura bene accipe & in commodum tuum verte. Vale optimè cum Tuis omnibus. Dab. Gedani Cal. Aug. Anno Christi Servatoris 1649.

Est verò is Perrever. & longè Clarissimus vir, David Vechnerus, Bethaniæ olim Professor Gymnasij & Pædagogiarcha, nũc primarius Ecclesiastes & Rector Gorliciensis.

Ad Lectorem.

Epistola hæc, si alicubi luxuriem quampiam redolere videatur, venia vel eo nomine digna deputanda est, quod ætati floridæ, in quâ lætior vernantiorq; Oratio probari solet,

est

est accommodata. Porrò autem, ne pagellæ hæ vacuæ essent, subjicere lubet titulos Oratorios, *sed selectos & quos crebrioris usûs esse existimamus: postea etiam specimen* Epistolarum *addituri. Animus præterea erat*, Palæstram Nobilium, *seu Consilium peculiare in gratiam Illustrium nonnullorum Adolescentum scriptum adjicere. Sed certis ex causis in aliud tempus id rejicimus.*

Tituli Locorum communium Oratoriorum.

ABrumpendi orationem, seu desinendi ex abrupto.
Affirmandi firmiter & cum asseveratione.
Affirmandi dubitanter & quadantenus.
Attentionem rogandi.
Benevolentiam captandi.
Brevitatem promittendi.
Brevitatem excusandi.
Climacis exempla illustriora.
Comparandi majora cum minoribus, vel contra, formulæ & exempla.
Concludendi orationem seu Perorandi.
Confirmationem seu rem ipsam aggrediendi.
Connectendi.
Concedẽdi aliquid adversario.
Definiendi & describendi
Describendi Personam.
Bestiam.
Fontem.
Hortum.
Ædificium.
Montem.
Convivium.
Spectaculum. &c.
Dicendi rem satis exaggerari non posse.
Dicendi rem ita certam esse, ut probatione non egeat.
Digrediendi ad locum communem.
Digressionem finiendi, excusandi & ad propositum redeundi.
Exaggerandi hyperbolicè.
Exempla afferendi.
Exordiendi ex abrupto.
à reipsâ.
Extenuandi argumenta contraria.
Extenuandi rem aliquam vel factum per Miosin.
Gratias agendi pro Audientiâ præstitâ.
Limitandi & distinguendi.
Minoris in Syllogis: Oratorio ante majorẽ positę exempla.

Negandi aliquid fortiter.
Negandi dubitanter.
Obtestandi.
Ominandi. (falsam.
Ostendendi consequentiam
Ostendendi quod statum Controversiæ mutet Adversarius.
Paranomasiarum elegantioru exempla. (tionem.
Partiendi seu dividendi ora-
Perorandi *vide* Concludendi.
Perspicuitatis promittendæ.
Proponendi seu scopû orationis explicandi. (sandæ.
Prolixitatis in oratione excu-
Recapitulandi antedicta.
Refutandi.
Testimonia Divina vel humana adducendi.
Transeundi à re unâ in aliam.
Vovendi seu precandi in fine Orationis.

Tituli Epistolares selecti.

Epistola in genere, & Scribendi epistolam.
Epistolas poscendi, seu ad scribendum incitandi.
Promittendi crebras literas.
Silentium & tarditatem in scribendo accusandi.
Excusandi eadem.
Negotia obtendendi & occasionum defectum. (di.
Silentiû accusanti responden-
Redeundi ad intermissam scriptionem.
Timiditatem & verecundiam in scribendo exponendi.
Audaciâ in scribêdo excusâdi.
Dicendi literas fuisse gratas, amoris plenas.
Dicendi literas fuisse eleganter scriptas.
Dicendi literas aut tardè redditas, aut omnino perditas.
Brevitatem } excusandi.
Prolixitatem } excusandi.
Narrandi de valetudine, de statu publico & privato.
Commendandi formulæ.
Commendationi respondendi.
Petendi aliquid.
Petitioni annuendi.
Petitioni renuendi.
Consulendi super quæstione & dubio. (stulandi.
Censuram scripti alicujus po-
Consilium in re familiari & privatâ petendi.
Consiliû petenti respondendi.
Difficultatem in consilio dando obtendendi.
Approbandi consiliû alterius.
Improbandi consilium.
Mittendi & Donandi aliquid.
Dedicandi aliquid alteri.
Dedicationi respondendi.

Studium offerendi & promittendi officia.
Pro beneficio gratias agendi.
Gratitudinem promittendi.
Gratiarũ actioni respondendi.
Valedicendi.
Precandi felix iter.
Gratulandi de reditu.
Gratulandi de honore vel aliâ re lætâ. (ceptâ.
Gratulandi de valetudine re-
Gratulationi respondendi.
Hortãdi ad rem benè gerendã.
Hortãdi ad diligẽtiã in studiis.
Hortandi ad reditum in patriã.
Hortationi respondendi.
Dehortandi â studio voluptatum aut vitâ dissolutâ.
Dehortandi â consilii alicujus vel expeditionis societate.
Dehortationi respondendi.
Consolandi & suum dolorem contestandi.
Consolandi in morte Amici.
Consolandi in honoris aliquo detrimento. (tate.
Consolandi in publ. calami-
Consolandi in jactura bonorum, in exilio. &c.
Consolationi respondendi.
Judicium ferendi de aliquo.
Judiciũ postulandi de aliquo.
Laudandi per epistolam sine *commendatione* tamen, quæ peculiarem titulum habet.
Laudationi respondendi.
Extenuandi se & laudationem affectui tribuendi.
Conciliandi & ambiendi amicitiam.
Benevolentiam & cultum contestandi.
Ad Conciliatoriam respon-
Accusandi acerbè. (dendi.
Reprehendendi modestè.
Reprehensioni respondendi molliter.
Reprehensioni respondendi acriter.
Excusandi se vel alium.
Conquerendi de statu publico.
Conquerendi de valetudine, de luctu privato.
Conquerenti respondendi, ubi multa ex locis Consolandi peti solent.
Jocandi.
Jocanti respondendi.

Corrigenda.

p. 1. *lin.* 19. *post* per se *pone*, post peccatum. *p.* 5. *l.* 21. *pone* insignis successus. *ibid. in margine*, des Noyers. *p.* 13. *l.* 2. *post* actiones *pone* quædam. *p.* 20. *l.* 21. *tyrocinia. p.* 47. *l.* 17. alicubi. *p.* 48. *l.* 7. *pone*, quenquam. *Cætera benignus lector ipse corriget.*